

www.e-rara.ch

**Sanctorum presbyterorum Salviani Massiliensis et Vincentii Lirinensis
opera**

Salvianus

Pedeponi, vulgo Stadt am Hof, prope Ratisbonam, anno 1743

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rm 130

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-28422>

[Stephani Baluzii notae.]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

STEPHANI
BALUZII
NOTÆ
AD SALVIANUM.

Quo primùm tempore hos libros à nobis emendatos emisimus in publicum, titulum talem reliquimus qualem inveneramus in editione Petri Pithœi viri clarissimi, existimantes illum fuisse usum veteri codice bonæ notæ in quo Episcopi nomen Salviano tribueretur. Nullum enim in hoc loco subsidium comparare potuimus ex codice Corbeiensi, quamvis antiquissimo & optimo,

quia primùm ejus folium deest. Postea veròprehendimus codicem Pithœanum, qui nunc extat in bibliotheca Colbertina, non esse veterem, adeoque non eam habere auctoritatem ut nobis imponere possit ullam necessitatem retinendi titulum qui veritati resistit. Manifestum enim est Salvianum non fuisse Episcopum. Quòd si ejus auctoritatem sequi lubet, ipse Presbyteri tantùm honorem usurpat in Epistola octava, quæ data est ad

Y y 2

Eucho.

Eucherium Episcopum Lugdunensem. Error hinc ortus quòd in quibusdam Gennadii editionibus dicitur homilias *Episcopus Factus* multas composuisse, cum legendum sit *ad Episcopos* vel *Episcopis factas*. Nam vir eloquens & doctus homilias scribebat, quæ ab Episcopis deinde recitabantur in Ecclesia. Jam quòd in ipso statim initio dicitur sanctus, cum tamen (ut Bollandus adnotat ad diem 16. Januarii) neque Massiliæ colatur, neque vulgò sanctus habeatur, nonnulla heic dicenda sunt in gratiam lectoris. Certum est Salvianum, dum viveret, sanctum & beatissimum virum dictum fuisse ab Hilario Episcopo Arelatensi & ab Eucherio Lugdunensi; recepto videlicet more per eas tempestates ut Episcopi & Presbyteri vulgò sancti ac beatissimi vocarentur, sicut nos hodie Episcopum Romanum vocamus sanctissimum ac beatissimum. Perseverabat idem usus etiam post mortem; ut patet ex Hieronymo, qui alicubi conqueritur Episcopos à successoribus suis & à populis in Ecclesia laudari, & post mortem dici beatos, quorum vita fortassis à sanctitate procul abfuerat. Quod indicat morem seculi Hieronymiani, quo vivebat Salvianus. Atque id cum aliqui non intelligerent, ægrè ferebant Faustum Reiorum Apollinarium Episcopum vocari sanctum in titulo Epistolæ quam scripsit ad anonymum, tacito etiam auctoris nomine. Et tamen hic ipse Faustus, diù ante quàm fieret Episcopus, dictus est Sanctus in Concilio Arelatensi 111. sub Ravennio habito anno CDLV. in causa Theodori Episcopi Forojulienensis & Fausti tunc Abbatis Lirinensis, idemque à Dinamio & Honorato sive Ravennio, qui res gestas Maximi Episcopi Reiensis & Hilarii Arelatensis per ea tempora conscripserunt. Et diù post fata, anno nimirum quingentesimo trigésimo

quar.

quarto, Cæsarius Episcopus Arelatensis sic cujusdam Concilii Patres alloquitur in causâ Contumeliosi Episcopi Rejenfis: *Et Faustus Episcopus sanctus in Epistola sua dixit.* Quare mirum videri non debet quòd in titulo horum librorum Salvianus, in quo præterea mores inculpatos fuisse nemo ambigit, sanctus dicitur pro more sui seculi, tamen etsi publico cultu non celebretur in Ecclesia. Nam haud dubiè multi sunt in cælo sancti qui apud nos non habentur in catalogo.

SALVIANI] Salvianum natione Afrum fuisse nonnulli crediderunt, plerique Gallum, probabilibus utrique argumentis. Nam & Africæ terræ vastitatem & excidia singillatim describit, tum prodigiosam Afrorum temulentiam ac dementiam indignabundus exagitat, tamquam sui essent; & Gallorum item amentiam deplorat acerbissimè, qui post ur-

bium jæc provinciarum populationem, post luctuosissimas calamitates, animum adhuc retinebant conversum ad voluptates, ad voluptates inquam divina lege prohibitas & bonis moribus semper adversas. Erraverunt tamen qui eum putaverunt in Africa natum. Nam & ipse se Galliæ non obscure adjudicat multis in locis, sed præcipuè in libro 7. de gubernatione DEI pag. 132. ubi cum variarum Europæ provinciarum mala enarrasset, demum hæc addit: *Sed ego loquor de longè postis & quasi in alio orbe submotis, cum sciam etiam in solo patrio atque in civitatibus Gallicanis omnes ferme præcelsiores viros calamitatibus suis factos fuisse peiores.* Reliquum est igitur ut investigemus in quanam Galliarum parte ortus fuerit. Cum eum quidam Aquitanum fuisse putent, alii Treverensem, mihi magis placet Auberti Miræi sententia, qui

qui Coloniae Agrippinae aut in vicinia natum esse scribit. Ipse enim Salvianus in libro 5. de gubernatione pag. 125. de Treveris agens, eos vicinos suos vocat. Ac ne quis opponere possit heic non agi de Treveris, cum eos Salvianus non nominet hoc loco, consulendus est ipse in pag. 135. & 136. ubi agit de excidio urbis Treverensis, quam apertis verbis exstam fuisse scribit; simulque populares suos increpat duriusculè quòd cum vidissent vicinam civitatem ardere, non timebant. Miræi sententiam probat etiam Epistola prima Salviani: in qua amico commendans adolescentem quendam propinquum suum, ita loquitur: *Adulescens quem ad vos misi, Agrippinae cum suis captus est, quondam inter suos non parvi nominis, familia non obscurus, domo non despicibilis, & de quo fortasse aliquid amplius dicerem nisi propinquus meus esset.*

Matrem ergo is de quo dico, Agrippinae viduam reliquit &c. Hinc ergo confici puto Salvianum Patria Agrippinensem fuisse. Fueritne ab initio Christianus, non liquet. Certè Christianus erat cum Palladium Hypatij & Quietæ filiam duxit uxorem: quam primò quidem invitavit ad suscipiendam Christi fidem; deinde cum hoc pervicisset, etiam continentiam ab ea exegit, & de conjugè sororem fecit pro more illius seculi. Palladiæ conversionem ad fidem Christi graviter & iniquo animo tulit Hypatius, adeo ut non solum eam non viderit per integrum ferme septennium, sed ne litterarum quidem officio profecutus sit absentem. Nam præterea homini ea Religione imbuto quæ continentiam in conjugibus averfabatur, & quæ pœnas statuerat adversum coelibes, durum admodum videbatur abstinere filiam à cura posteritatis,

ritatis, quòd illi unica proles esset Auspiciola. Post septem exinde annos à conversione Palladiæ Hypatius Christo nomen dedit, Quietaque, ut ego quidem arbitror, Christi quoque gratiam consecuta est cum marito. Cùm videret ergo Salvianus cessasse causas odii in focero & focru, litteras ad eos scripsit, quibus suo uxorisque ac filiaë nomine eos oravit uti vetus inter eos gratia reconciliaretur, & qui jam Christiani erant, nollent deinceps odisse liberos, à quibus nullam aliam ob causam alienati erant quàm quia ad Christum se converterant. Habitabat porrò tum cùm hæc scriberet Salvianus procul à focero, id est, ut conjectura suadet, in provincia Viennensi, cùm focer in Belgica quarta moraretur, cujus metropolis erat Colonia Agrippina. Nam video eum familiarem fuisse celeberrimis partium illarum viris,

Honorato inquam Episcopo Arelatensi, Eucherio Lugdunensi, Agræcio Antipolitano, Salonio, cui inscripsit libros de gubernatione DEI, & Verano, quem unà cum Salonio fratre in disciplina sua habuit quo tempore juvenes erant. Denique cùm ad clerum vocatus est, in eadem provincia Viennensi factus est Presbyter, nimirum in Ecclesia Massiliensi. Viveretne adhuc uxor tempore ordinationis ejus, non invenio traditum memoriæ literarum, neque à quo Massiliensis Ecclesiæ Episcopo adlectus in Presbyterium sit. Falluntur autem vehementer qui putant eum Episcopum fuisse, ut suprà diximus. Floruisse eum anno CDXXXIX. & non ita multò post scripsisse libros de gubernatione DEI colligi potest ex libro 7. pag. 153. ubi calamitatem Litorii describit, qui eo anno infelicissimè pugnaverat apud Tolosam, uti dicemus suo loco.

Per-

Pervenit autem usque ad tempora Gelasii Romani Pontificis, ut Gennadius docet, qui eum testatur in senectute bona adhuc eo tempore vixisse. Plurimas ille lucubrationes ejus recenset quæ nunc non existant, libros nimirum tres de virginitatis bono ad Marcellum, librum de expositione extremæ partis Ecclesiasticis ad Claudianum Chorepiscopum Viennensem, & in morem Græcorum, de principio Genesis usque ad conditionem hominis compositum versu quasi Exameron librum unum, homilias denique multas. Hæc inquam interciderunt. Superfunt itaque libri octo de

gubernatione DEI & de iusto DEI præsentique iudicio, Epistolæ novem, & libri quatuor ad Ecclesiam Catholicam adversus avaritiam.

SALONIUM] incertæ sedis Episcopum. Sunt qui Genavensem fuisse putent, alii Genuensem, alii denique Viennensem. Filius is erat Eucherii Episcopi Lugdunensis, à quo traditus in disciplinam Salviano fuerat cum fratre Verano. Hujus Salonii extat brevis expositio in parabolas Salomonis, & expositio mystica in ejusdem Salomonis Ecclesiastem. Vide infra in Notis ad Epist. IX. pag. 199. &c.





AD LIBROS
DE
GUBERNATIONE.

AD PRÆFATIONEM.

Pag. 1.

STYLO TEXERENT]
Hunc locum ita edide-
runt Alexander Brassi-
canus & Petrus Galefinius :
*Id speciali cura elaborarunt,
ut sive utiles ac probas, sive
inutiles atque improbas ma-
terias sibi delegissent &c.*

MUNDIALIUM] Rectè
heic adnotatum est à Bras-
ficano Salvianum usum esse
dictione suo seculo familiari.
Nam ipse ea frequenter uti-
tur, & ceteri etiam ætatis
illius scriptores.

Pag. 2.

SCHOLASTICI] Scho-
lasticum sermonem dicit,
pro more illius seculi, com-
ptam & politam orationem
&, ut Cicero diceret, inci-

tatam, volubilem, redun-
dantem, & circumfluentem.
Sanctus Paulinus in Epist. 9.
ad Severum laudat Rufinum
quòd *scholasticis & salutari-
bus* (legendum *secularibus*)
litteris Græcè juxta ac Latine
dives esset. Commigravit
autem hæc vox ex Græcia
in Italiam, ut docet etiam
Seneca in præfatione con-
troversiarum : *Hoc verò al-
terum nomen Græcum qui-
dem est, sed in Latinum ita*
translatum ut pro Latino sit
*scholastica controversa, mul-
tò recentius est sicut ipsa de-
clamatio.* Sed de variis
istius vocis significationibus
vide Baronium ad diem sex-
tam

tam Februarii, Meursium in Glossario, Rosweydam in Onomastico ad vitas Patrum, & Henricum Valesium ad Socratem pag. 77. Ne tamen putes Salvianum damnare totum hoc scribendi genus. Nam & ipse scholastico admodum sermone scripsit; ut patet ex his libris, & Gennadius docet. Damnatur ergo tantum eos qui eloquentiam suam vertunt ad pravos usus. Veluti si quis Petronium reprehenderet, quod purissimam illam suam Latinitatem impurissimo opere foedaverit. Aut cum Quintilianus Afranium Togatarum scriptorem, qui in eo genere comœdiarum excelluit, dolet argumenta sua inquinasse puerorum foedis amoribus. Vide etiam Brassicanum ad hunc Salviani locum.

VANITATE SUNT TUMIDA] Brassicanus edi-

dit *Latinitate*, admonens ita scriptum fuisse in exemplari descripto quo is utebatur, quam lectionem retinuit Galestinus. Pithœus verò reposuit *vanitate*. Quam vocem, cum extaret etiam in codice Corbeiensi, nos quoque putavimus esse retinendam.

RER. MAGIS QUAM VERBOR.] Infra lib. IV, de gubernat. pag. 60. dicitur vocabula nihil esse sine rebus.

SIN AUTEM] Ab his verbis incipit codex Corb.

INFRUCT. SAL.] Ita editio Petri Pithœi. Bona etiam haud dubie est lectio codicis Corbeiensis, quæ sic habet: *Et hoc ipsum in infructuosum sortita non erit, si tamen ita legatur; Et hoc ipsum non in infructuosum sortita erit.*



AD LIBRUM PRIMUM.

LIBER iste in codice Corbeienſi ſic inſcriptus erat : *De juſto DEI præſentique judicio.* Cetera aberant. Sanè Salvianus non diſputat in hoc primo libro de gubernatione, quamquam hanc quoque partem leviter attingit, ſed de judicio DEI. In ſecundo demum aggreditur ſcribere de gubernatione DEI, ut illic adnotabitur.

SUSPEXIT] In prima editione ſcripſeram *ſuſcepit*, ſecuti editionem Pithœi. Nunc verò quia & Braſſicani & Gaſſinii editiones habent *ſuſpexit*, hanc poſtremam lectionem, quam confirmat codicis Corbeienſis auctoritas, placuit retinere.

Pag. 3. **ANIMUS**] Adnotatum eſt ab eruditiffimo viro Cunrado Rittershuſio, qui commentarium ſcripſit ad opera Salvianica, auctorem noſtrum imitatum eſſe in hoc loco verba Minucii Felicis in

Octavio. Nam hæc ſunt ejus verba : *Et Pythagoræ DEus eſt animus, per univerſam rerum naturam commens & intentus, ex quo etiam animalium omnium vita capiatur.* Verùm non puto Salvianum iſta ſumpſiſſe ex Minucio, ſed ex Cicerone, quem ad verbum deſcribit. Locus eſt ex libro primo de natura deorum, ut adnotavimus in margine.

STOICI EUM] Lactantius lib. 1. divinar. inſtitut. cap. 2. annotat Stoicos acerrimè retudiſſe eorum deſerentiam qui deos putaverunt non eſſe, ac docuiſſe *nec fieri mundum ſine divina ratione potuiſſe nec conſtare niſi ſumma ratione reſponderetur.* Et lib. 7. c. 3. ſcribit Platonem docuiſſe mundum à DEO factum eſſe & ejuſdem providentia gubernari.

EPICUREORUM] qui, **Pag. 5.** ut lib. 1. cap. 8. ait idem Lactan-

stantius, nollentes mundum à DEO esse factum, quæ-
re solebant, *quibus mani-
bus, quibus machinis, qui-
bus vocibus, qua molitione
hoc tantum opus fecerit.*

Pag. 6.

QUÆSTIONIBUS] Rit-
tershusius ex ingenio emen-
davit *questibus*, suamque
conjecturam probare cona-
tus est auctoritate Cypriani
in libro de lapsis. Et tamen
codex Corbeiensis & edi-
tio Phithœi habent *questio-
nibus*.

TITULUM SANCTI-
TATIS] Infra extremo li-
bro 3. pag. 59. *Nihil enim
omnino prodest nomen san-
ctum habere sine moribus:
quia vita à professione discor-
dans abrogat illustri tituli
honorem per indignorum
actuum vilitatem.* Sic lib.
5. pag. 108. in illos invehi-
tur qui Religionem simulan-
tes, adeoque *titulo sibimet
sanctitatis inscripto*, pro-
fessione illa nomen quidem
mutaverant, ceterum pri-
stinos mores non abjece-
rant. Ex his itaque locis

colligitur eos qui severiori
se vitæ applicabant, san-
ctos tum fuisse dictos. Hos
autem paulò post Religiosos
vocat; & pag. 8. hoc ipsum
argumentum tractans, ait:
*Religiosi ac sancti viri mise-
ri non putandi sunt.* Re-
ligiosorum autem nomine,
ut ad paginam 80. dicitur,
intellexit Salvianus clericos,
monachos, & omnino eos
qui à vita seculari converte-
bantur ad professionem vitæ
severioris.

PAUPERES] Sive de
monachis loquatnr Salvia-
nus, sive de clericis, cer-
tum est non posse hinc colligi
necessariam tum fuisse Re-
ligioso publicam paupertatis
professionem, sive votum
paupertatis, ut hodie lo-
quimur. Nam Salvianus
ipse docebit infra in libro 3.
adversus avaritiam pag. 256.
proprietas bonorum ac
possessionum illis interdi-
ctam nondum fuisse per il-
las tempestates. Hujus er-
go loci sensus est, Religio-
sos qui pauperes erant sive

voluntate, paupertatem æquo animo ac gaudenti tolerasse, non, ut plerique solent, per questus & deplorationem sortis suæ. Sequentibus deinde seculis expedire visum est bono disciplinæ uti Religiosis non liceret aliquid proprium habere, ita ut ne Romano quidem Pontifici licere voluerint cum monacho dispensare circa proprietatem, quemadmodum nuper observatum est in Notis ad Concilia Galliæ Narbonensis pag. 28.

HONOREM FUGIUNT] Editio Pithœi *respuunt*. Quo modo etiam editum est à Brassocano & Galefinio. Emendatum est ex codice Corbeiensi. Cur enim bis eadem voce intra unam lineam uteretur Salvianus non coactus? Librarii haud dubiè mendum fuit.

Pag. 7.

SIVE E. GRAVIA] Tacitus lib. 6. annalium: *Necque mala vel bona quæ vulgus putet: multos qui confictari adversis videantur,*

beatos, ac plerosque, quamquam magnas per opes, miserimos, si illi gravem fortunam constanter tolerant, hi prospera inconsultè utantur. Vide Notas ad Epistolam secundam Lupi Ferrariensis.

QUI INVITUS FACIT]

Infrà extremo libro quarto adversus avaritiam pag. 295. *Totum durum est quicquid imperatur invitis.*

RUSTICOS CIBOS]

Id est, rapa, ut constat ex Aurelio Victore cap. 33. de viris illustribus. Respicit enim Salvianus ad Historiam Curii Dentati civis Romani, quem legati Samnitium repererunt rapa torrentem atque ligneo catillo (ut Valerius Maximus ait lib. 4. cap. 3. canantem. Is ergo fictilia sua Samnitico prætulit auro, ut Florus scribit. Vide Ciceronem in libro de senectute.

AVARA AC DIV.

CONSC.] Optimè codex Corbeiensis pro eo quod editio Pithœi habet *avaram*

ac divitem conscientiam. Emendationem porrò istam esse legitimam probant etiam editiones Brassicani & Galefinii, qui locum hunc sic ediderunt: Numquid egrè ferebant quòd avara illos à divite conscientia auri talenta non premerent.

PATRITIUM HOMINEM] Cornelium Ruffinum, ut docet Valerius Maximus lib. 2. cap. 4. Meminit & Tertullianus in apologetico cap. 6. *quæ Patritium, quòd decempondo argenti habuisset, pro magno titulo ambitionis senatu summovebant.*

DIVES POTESTAS] Affentior Rittershusio, qui potestatis vocabulum apud Salvianum & alibi intelligi debere existimat ipsum magistratus nomen. Quo sensu fortassis accipienda est hæc vox in veteri inscriptione quæ primùm hoc loco edita est ex lapide antiquo qui Narbone extat in æde Prioris B. Mariæ majoris. Lapis est prægrandis, in summo sectus in arcum, in imo planus, quem in limine cujusdam templi positum fuisse gravis est conjectura. In cantica parte hæc leguntur.

IMP.

CAESARI. DIVI. NERVAE. F.
NERVAE. TRAIANO. GERM. PONT. MAX. TRIB.
POT. COS. II.

Q. S....ILIUS.....ANUS. IIIII. VIR.
AUGUSTAL. DE. SUA. MEDIOCRITA.

..... MENTO FIERI.
PONIQUE. IUSSIT.

In postica verò parte, majoribus characteribus, sic.

AD. VRNAM. POTESTATIS.

Ceterùm Sevir ille augustalis, cujus nomen dimidia sui parte periit, fortasse est Servilius Marcianus sacerdos

ad

ad Templum Romæ & Augustorum Arelate, cujus mentio extat in veteri inscriptione Lugdunensi apud Sixtum in Pontificio Arelatensi pag. 53. Quæ dein ex inscriptione desunt, ita haud dubiè supplenda sunt: *de sua mediocritate à fundamento fieri ponique jussit.*

PRO HUM. GENERE.]

Non malè fortassis Rittershusius, qui totum hunc locum sic legendum & interpungendum putat *ac prout humano generi necessarium nosset, moderationem suam & gubernaculum temperaret.* Quamquam repugnant omnes editiones & liberi; nisi quòd pro *necessariam*, quæ lectio est tum Pithocæanæ editiones tum aliarum, codex Corbeiensis habet *necessarium*, quod adjuvat conjecturam Rittershusii. Brassicanus & Galestinus, detracta voce *nosset* ut superflua, sic legerunt hunc locum: *Ac pro humano genere necessariam moderationem suam & gubernaculum temperaret.*

TIMOTHEUM APOST.]
 Infra Epist. 9. Pag. 200. *Timothei Appstoli.* Hieronymus in Chronico: *Reliquia Apostoli Timothei Constantinopolim invecæ.* Certum est Timotheum non fuisse ex numero eorum quos vulgo vocamus Apostolos. Et Primasius in caput primum Epistolæ Pauli ad Philipenses, quæ sic incipit, *Paulus & Thimotheus servi JESU Christi*, Apostolatam denegat Timotheo, cum dicit: *Omnis Apostolus servus, non omnis servus Apostolus.* Sed sciendum est Apostoli nomen generale esse & ad omnes pertinere qui ad gentem aliquam fide Christiana imbuendam missi sunt; quemadmodum dictum est olim in Concilio Lemovicensi, & legitur in Epistola Joannis XX. de Apostolatu sancti Martialis. Sic Epaphroditus à Paulo dicitur Apostolus Philippensium.

Pag. 9.

QUIDAM H. L. DIXIT] Pag. 10.

Verba sunt Salviani ex Epistola quinta, ut notat etiam

Rit-

Rittershusius, qui locum hunc mirè facere putat adversùs Pithœi suspiciones de auctore librorum adversùs avaritiam.

ET AFF. ARTUBUS]

Frigidior erat sententia hujus loci in aliis editionibus, quæ ita habebant: *Ut affectis artubus, vires corporum in virtutes transferantur animorum.* Sed excelsa est ac Salviano digna in codice Corbeiensi, quem bona fide expressimus. Quin & Salvianus ipse hanc emendationem confirmat in Epistola quinta, unde hæc sumpta sunt.

Pag. 11. ET ABLEGAVIT] Ita videtur legi & interpungi debere hic locus ut heic editus est. Nam & editiones ita habent, & sensus postulat uti hanc lectionem retineamus. Attamen codex Corbeiensis habebat: *Et ablegavit laborem, videlicet &c.* Ceterùm antè quàm ab hoc loco discedam, admonendum putavi lectorè heic in eodem codice pro aman-

daviti scriptum esse commendavit. Quo etiam modo alibi legi adnotatum est in margine editionis Pithœanæ.

SCIRE RESPONDE- Pag. 14

RIT] Dubitandum non est quin hæc lectio præferenda sit ei quæ extat in editione Pithœi, ubi sic habetur: *Nilil se de cade fratris conscium responderit.* Præter auctoritatem porrò codicis Corb. quo usi sumus in emendatione loci istius, lectio illa confirmatur etiam auctoritate editionum Brassicani & Galestinii.

VERUM NE MIREMUR] Pag. 15.

Affentior Rittershusio, qui subesse heic mendum existimat.

PRIMUM SANCTOR] id est, Abelem.

JUDICAVIT] Codex Colbert. vindicavit.

PASSIONI] Sic infra Pag. 16. lib. 4. pag. 71. *Cumque ejus nature sit mens DEI atque majestas ut nulla iracundia passione moveatur.* Utrobique vocabulum illud barbarè

barè positum est pro eo quod Latini dicunt affectum animi vel affectionem. Invaluerat nimirum ævo Salviani corruptio illa linguæ Romanæ, quando eadem voce, ut affectionem animi significent, utuntur etiam Bacharius in Epistola ad Januarium, Sanctus Ambrosius, Cassianus, Faustus Reiensis, Cæsarius Arelatensis, Ruricius Lemovicensis, Julianus Pomerius, ac multi alii.

VIM DEM. IRATI] Imitatus est Salvianum Faustus Reiensis in Epistola ad anonymum, in qua hæc leguntur: *Ceterum DEI ira, justitia est; DEI furor, severitatis vigor est; DEI jurasse, definisse est; DEI pœnituisse* ***. *Sententiatamen sæpe mutata. Et cum se persequente aliquo ladi dicit, crimen ladentis ostendit.* Ceterum Salvianus lib. 2. pag. 29. ait aspectum divinitatis propitiæ esse munus conservationis humanæ.

DATA A DEO] Col-Pag. 17. bert. *data à Domino.*

DEFUNCTIONEM] In ora Pithœanæ editionis adnotatum est alibi legi *definitionem*. Quo etiam modo legitur in codice Corbeiensis. Pag. 18.

LOTH CUM AFFECTIBUS] id est, cum uxore & liberis. Recepta erat seculo illo vocis istius usurpatio, ut propinqui significarentur: de quo nos fortassis amplius differemus in Notis ad Epistolas Ruricii Episcopi Lemovicensis. Vide Rosweydi onomasticon ad vitas Patrum.

JUDICAVIT UTIQUE] In aliis editionibus legitur: *Si autem cum judicio malos perdidit, judicavit utique.* Codex Corbei. eleganter repetit vocem *Judicavit*. Sic etiam Colb.

REM PR. NITIMUR] Pag. 19. Editio Brassicani: *vereor ne dum satis rem probare nitimur.* Galestinus: *vereor ne dum satis rem probare nitimur.* Pithœus: *vereor ne dum satis reprobare*

rem nitimur. Nos secuti sumus auctoritatem codicis Corbeiensis. Pro eo autem quòd editio Pithœi omnino malè habeat *texisse*, nos secuti codicem Corbeiensem & superiores editiones respiciimus *texuisse*. Atque ita in sua editione emendavit Rittershusius. Similis error acciderat in commonitorio Vincentii Lirinensis.

UT PLUS SACRILEGUS]

Colbert. *ut unus sacrilegus.*

ET QUID POSTREMO] Editio Pithœi: *Et quid? postremò decies rebellat &c.* Reddidimus hic bona fide codicem Corbeiensem. Unde confirmatur conjectura Rittershusii, qui ita legendum esse monuerat.

IN ÆGYPTO] Cùm hic locus variè legatur, admonuissetque Rittershusius legendum videri *In Ægypto quippe tunc non simplex*, nos ejus conjecturam secuti sumus in hac editione, ut sensum aliquem faceremus huic loco.

CELEBRAT] Colbert. *celebratur*, Corb. *celebrato.*

VOLVITUR] Corb. *su-Pag. 20.* *per volvitur.* Hinc volumina pro fluctibus in Epistolis Meletii Episcopi Mopsuesteni & Theodoretii Cyrensis editis in synodico adversus Tragœdiam Irenæi cap. 119. 129. 139. 151. Plinius lib. 7. cap. 45. *magna sortis humana reperiantur volumina.*

ÆGYPTII REBEL.] Colbert. *Ægyptios rebellantes saepe percussit.*

CONTUMACIÆ PERTINACES] id est, in contumacia durantes. Quod alii, ut diversa sunt hominum ingenia, ajunt esse animi parum liberalis, alii verò generosæ & excellæ mentis.

LUCEM] Colb. *lumen.*

IMMUTATAS] Idem codex, *invitatas.*

SERVIENTES] Hic locus sic antea legebatur in editione Pithœi & in codice Corbeiensi, *DEUM pietate indulgentissima &c.* Admonue-

rat autem Rittershusius legendum esse *DEI pietate*. Cùm itaque lectionem illam præferrent editiones Brassicani & Galefinii, dubitandum non erat quin Rittershusii conjectura foret retinenda.

SCISSAS VESTES] Heic tantummodo admonuerim in codice Corbeiensis legi *ad-cissas vestes*, in Colbertino *cissas*.

DEUM FILIUM] Ita codex Corbeiensis. Colbertinus tamen & omnes editiones habent *DEI Filium*. Rursum Rittershusio displicet quòd heic legitur *visibus*, mavultque legi *usibus*. Et tamen heic est mira editionum ac codicum concordia.

Pag. 21. RUPICES PAGINAS] Sic eleganter, inquit Rittershusius, vocat lapideas tabulas quibus digito *DEI* erant inscripta decem verba legis. Et nota *rupices* adjectivè & rarenter positum nomen pro *saxeis*, cùm aliàs *rupices* substantivè sole-

ant dici homines stupidi & bardi.

EXCIPIMUS] Colbert, Pag. 22. *accipimus*.

ILLA MAGIS] In editione Brassicani & Pithœci sic legitur hic locus: *Usitatum est hoc humana menti, cùm intueatur illa magis semper que desunt*. Galefinius: *usitatum hoc humana mentis est vitium, illa magis velle que desunt*. Itaque expungit voces illas, *cùm intueatur*. Offenderunt porrò illæ aures Rittershusii, qui illas sine detrimento sententiæ rectius abesse posse putat. Gaudeo conjecturam ejus firmari auctoritate codicum Corbeiensis, & Colbertini, qui duabus illis vocibus carent.

ACCIDIT QUOQUE ILLUD] In aliis editionibus, quin etiam in Pithœana, sic legitur: *Et quia, ut ille ait, aliena nobis, nostra plus aliis placent. Accedit quoque illud &c.* Opinor autem neminem ambigere quin emendatior habeatur hic locus

cus in codice Corbeiensi, quem bona fide expressimus.

Pag. 23. **CONSEQUERETUR POENA**] Infrà pag. 25. *Nec penè priùs peractum est facinus peccantium quàm ulcisceretur pœna peccatum. Vide Notas ad Lupum Ferrar. pag. 473.*

Pag. 24. **AD CUNCTORUM E-MENDAT.**] Infrà pag. 27. *Ut proficeret cunctorum emendationi pœna omnium noxiorum. Et lib. 7. pag. 156. ut dum pars clade caditur, pars exemplo emendaretur. Tacitus lib. 14. annalium: magnum exemplum quod contra singulos utilitate publica rependitur. Quando scilicet decimus quisque fusti feritur in exercitu. Vide Rittershusium ad istum Salviani locum.*

Pag. 27. **JUSTITIÆ ET MIS.]** Colbert. *justitia & misericordia.*

SEVER. P. P. DISCIPL.] Editiones: *Et severitati per disciplinam. Haudubiè le-*

ctio illa optima est. Sed ego præfero lectionem codicis Corbeiensis. Augustinus in psalmum centesimum: *DEus autem nec in bonitate misericordia perdit judicium severitatem, nec in judicando cum severitate amittit misericordiam bonitatem.*

VIS VIDERE SEVERUM] Corb. & Colbert. *vis videre justum & pium & severum judicem.*

EXPLICIT LIB. I.] Ita editio Pithoci. Codex Corbeiensis habet: *Explicit liber I. cum facilitate. Titulus verò sequentis libri is est: Incipit liber secundus in virtute DEI.* Hæc admonere fortassis nullius erat momenti. Verùm ex antiquitate amamus etiam quisquillas & semesos lapides. Solebant veteres, ut adnotatum est à viris eruditissimis, in fine librorum scribere *Explicit*; significare volentes perventum esse ad finem voluminis, quod planè explicatum esset & evolutum.

lutum. Hieronymus in Epistola ad Marcellam: Solemus completis opusculis ad distinctionem rei alterius se-

quentis medium interponere
 EXPLICIT aut FELICITER aut aliquid ejusmodi.

AD LIBRUM SECUNDUM.

Pag. 29. **QUIA QUI V. RECTURUS**] Editiones: *Quia vel rectorus est vel iudicaturus. Præfens igitur &c.* Ecce iterum Rittershusii conjecturam vetusti codicis auctoritate firmatam. Nam ille post *quia* addi volebat *qui*.

ASPECTUS E. DIVINIT.] Contrà lib 1. pag. 16. iram divinitatis ait potnam esse peccantis.

Pag. 30. **MEMORIAM EOR.**] Brassicanus & Galefinus sic ediderunt hunc locum: *Nam cum ad hoc sit vultus DEI super facientes mala ut perdat de terra memoriam eorum de generatione omni, necesse est &c.* Verba illa, *de generatione omni*, sunt prorsus superflua, & adjecta sunt ab eo qui non intel-

ligeret ad quem locum referri deberent ista *De gubernatione DEI*, quæ facilè video fuisse in omnibus codicibus manu scriptis. Restituit veram lectionem, sed non suo loco, vir clarissimus Petrus Pithœus, qui sic representat hunc locum: *Nam cum ad hoc sit vultus DEI super facientes mala ut perdat de terra memoriam eorum: de gubernatione DEI necesse est &c.* Admonuit tamen idem vir clarissimus has voces esse delendas, epigraphen enim esse libri, quæ in textum irrepsit. Hæc sunt ejus verba: *Hæc est veteris codicis lectio, nihil enim in his libris conjecturis datum, totum ex fide vetustissimi & emendatissimi codicis transsumptum: ex qua*

cum non satis constare vide-
retur mem. eorum de gene-
ratione omni, concinnata est
vulgata lectio. Utramque
fortasse rectius deleremus.
Nam hac verba, de guber-
natione DEI epigrapha est li-
bri, quae in textum irrepfit.
Verum extremo digito atti-
git vir eruditissimus, neque
tamen prorsus deprehendit.
Verba enim illa, *De guber-
natione DEI*, ex eo loco
expungenda sunt quem oc-
cupant, in editione Pithoei;
& in media pagina reponi
debent, ut à nobis factum
est, ante illas voces *Videa-
mus nunc an &c.* Sic enim
legitur in codice Corbeiensis,
& praeterea Salvianus heic
demum aggreditur dispu-
tationem de gubernatione
DEI.

Pag. 34. JUDICARIT] Ita codex
Corbeiensis. Colbertinus
& editiones habent *vindi-
carit.*

BARBARI] id est, qui
Judæus non erat, adeoque
extra populum DEI & nu-
merum sanctorum.

MAGNOR. OPER.] Co-Pag. 35.
dex Colbert. & editiones,
majorum.

EXHONORATUR] Idem codex & edit. *exone-
ratur.* Et hanc lectionem
posse tolerari censuit Ritters-
husius.

AB UNO FRATRE] In Pag. 36.
omnibus editionibus, præ-
terquam in ea quam Galesti-
nius Romæ adornavit, legi-
tur à *bono fratre.* Quo eti-
am modo habent codices
Corbeiensis & Colbertinus.
Galesinius igitur rectè emen-
davit *ab uno fratre.* Error
hinc ortus quòd veteribus il-
lis librariis solenne fuerit in-
vicem commutare literas *o*
& *u*, quemadmodum mul-
toties jam observatum est.

SUPERSTES PRIORIS Pag. 37.
STATUS] Ita rectè codex
Corbeiensis pro eo quod
Colbertinus & editiones ha-
bent: *Super istis, prioris
status &c.*

TIMUERAT TOTUS
ORBIS] Editiones Galesinii
& Pithoei, quibus consentit
codex Corbeiensis, sic le-
gunt:

gunt: *Quem timuerat for-
sitæ totus orbis.* Sed edi-
tio Brassicani non habet vo-
cem *forstitæ*, quæ videtur
superflua. Nos itaque eam
ab hoc loco sustulimus.

TOTUS ORBIS] ut tum
videbatur, quemadmodum
dicet infra Salvianus lib. 1.
adversus avaritiam
pag. 224.

* *
*

AD LIBRUM TERTIUM.

Pag. 39. **BENE SE RES HABET]** Imitatum ex Cicerone
adnotat Rittershusius.

ÆDIFICIUM IT. HOC]
In aliis editionibus legitur:
*Quàm illa sunt quæ fecerunt
ædificium. Itaque hoc &c.*
omnino malè. Itaque secu-
ti sumus codicem Corbei-
ensem.

Pag. 40. **BARBARORUM]** ist est,
Wandalorum, Hunnorum,
Francorum, Gothorum,
ceterarumque gentium quæ
Romano tum imperio insul-
tabant.

**SORS BONOR. DU-
RIOR]** Vide Cassianum col-
lat 6. cap. 2.

nescio. SECRETUM]
Ita prorsus codex Corbei-
ensis. Quæ lectio sanè op-

tima est, & sola vera. Reji-
cienda igitur lectio quam
habent aliæ editiones hoc
modo: *Nescio secretum, &
consilium divinitatis ignoro.*
Rursum paulò infra legitur
in omnibus editionibus:
*Homo sum, non intelligo se-
creta DEI, investigare non
audeo.* Melius codex Cor-
beiensis, qui sic distinguit:
*Homo sum, non intelligo,
secreta DEI investigare non
audeo.*

HOMINEM CHRISTO Pag. 42.

CREDERE] Vide infra pag.
59. in initio libri quarti.
Ajunt autem Centuriato-
res Magdeburgenses cen-
tur. 5. cap. 4. Salvianum
non rectè hoc loco definiisse
fidem.

Pag. 43.

EXCALCIOS] Admonuit Pithœus in veteri suo codice scriptum fuisse *excalcios*, & quidem fortasse rectius. Itaque cum magna sit in hoc loco consensus codicis Corbeiensis & Pithœani, lectionem illam retinimus, repudiata editione cum Pithœi tum aliorum, quorum ille scripsit *excalciatos*, isti *excalceatos*.

Pag. 44.

RACHA] Hieronymus in caput quintum Matthæi ait vocem illam lingua Hebræorum significare inanem aut vacuum, *quem non possumus*, inquit, *vulgata injuria absque cerebro nuncupare*. Sanctus Gregorius lib. 21. Moralium cap. 5. *Racha* quippe in Hebræo eloquio vox indignantis est; que quidem animum irascentis ostendit nec tamen plenum verbum iracundie exprimit. Vide sanctum Hilarium in caput quartum Matthæi, Regulam sancti Basili cap. 145. & Avitum Viennensem in Epistola prima.

Pag. 45.

SECULARES AMO-

RES] Ita codex Corbeiensis. Pro quo Colbertinus & omnes editiones habent *secularis amoris jus*.

IN CRUCIS NOMINE DIGNITATIS] Opinor Salvianum heic loqui de iis qui relictis seculi pompis & oblectamentis, tum abdicatis facultatibus suis, profitebantur palam contemptum rerum humanarum. Hi ergo cum renuntiassent omnibus his quæ possidebant, crucem aut verè gestabant aut gestare se intelligi volebant, ut ita ostenderent discipulos se esse Jesu Christi. Quod si faciebant ex intimo cordis sensu, laudanda fuit tantorum virorum virtus ac fortitudo. At si fastuosè potiùs quàm verè ista fiebant, erant traducendi omnium linguis & sermonibus. Elegans est locus Cassiani ex collatione octava cap. 3. dignusque qui heic à nobis describatur. Sic ergo habet: *Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus. Quod quidam distri-*

districtissimi monachorum, habentes quidem zelum DEI, sed non secundum scientiam, simpliciter intelligentes, fecerunt sibi cruces ligneas, easque jugiter humeris circumferentes, non adificationem sed risum cunctis videntibus intulerunt. Vide Innocentium III. lib. 10. Epist. 121.

POPULOS ECCLESIASTICOS) In codice Colbertino & in antiquis editionibus, pro *populos*, legitur *Apostolos*, prorsus malè. Sensit vitium Rittershusius. Itaque scribendum existimavit *populos Ecclesiasticos*. Quæ emendatio ex ingenio tentata prorsus confirmatur auctoritate codicis Corbeiensis. Similem errorè nos olim emendavimus apud Agobardum in libro apologetico cap. 6. *Et dicat omnis populus, cum antea legeretur & dicat omnis Apostolus.* Vide Notas ad Capitularia pag. 1173.

Pag. 53. **ÆTERNI IGNIS TORMENTA**] Ea fuit veterum persuasio, ut existimarent esse æternum ignem apud infe-

ros, quo damnati exurentur. Elegans est locus Fausti Episcopi Reiensis in Epistola sexta ad Ruricium Episcopum Lemovicensem: *lindo ipse, inquit, facile terrena despicias, vel fœnerantis more dispensas, dum illud cogitas tempus quo exurentur peccatores sicut fœnum, quo aestuantis gehenna furore perpetuo, cujus fumus ascendit in secula seculorum, hi qui neglexerunt oblata, tali morte punientur ut eis mori in dolore non liceat, morituri vita, & morti sine fine victuri.* Item in Epistola prima: *Homo ergo pro mortalibus malis moriturus est DEO, & victurus inferno. Hæc erit illius mors ut mori ei in dolore non liceat.* Neque aliter sensit Pacianus Barcinonensis Episcopus, apud quem sic legimus in parænesi ad poenitentiam: *Ipse sibi materiam recrescentium corporum reparat ignis æternus.* Et Prosper, sive Julianus Pomerius, libro tertio de vita contemplativa

cap. 12. inter infelicitates damnatorum numerat *mori vita beata & morti vivere sempiterna.* Atrox supplicium quod semper cruciat miseros, nec tamen perimit. Et misericordiæ genus est, ut Seneca ait, citò occidere; crudelitatis, longo cruciatu vexare. Sed heic meminisse oportet Origenis.

INIMICOS DILIGANT] præceptum Christi est, quo jubemur inimicos diligere. Atque hoc argumentum valde urget Cæsarius Arelatensis in homiliis de dilectione inimicorum. Hodie tamen multùm receditur ab hoc mandato, opinor, quia fenesciente Ecclesia, semper recedimus ab origine pietatis. Videant quibus moris est Christi & Ecclesiæ leges naso suspendere vel ridicula interpretatione mollire, cuiusmodi nimium multi sunt, utrum magna virtus sit inimicos diligere, qui nec fortassis amicos suos amant, ut dixit Salvianus in pag. 51.

APUD QUEM DELEC-

TATIONI) Ita omnes editiones. Quibus consentit codex Corbeiensis. Ego tamen lubenter legerè *delectationi*; tamen et si vox *delectationi* sensum quoque bonum reddat.

DESPICI A DOMINO)

Colb. *despici à DEO.*

DOMINI CARNALES) Pag. 54

Editiones: *Contemni à servis suis curiales solent.* In ora Pithocanæ editionis scriptum est *carnales.* Sed codex Corbeiensis habet *Domini carnales.* Rectè. Nam paulò antè dixerat Salvianus: *Quis, rogo, ex carnalibus dominis hac cum suis lege &c.* Agobardus in libro de baptismo Judaicorum mancipiorum: *Repudiamus propter carnales dominos.*

MINUS ESSE VITIO- Pag. 55.

SUM] Videndus omnino Cæsarius in homilia adversus eos qui putant quòd illis ad vitam æternam sufficiat si male non fecerint, etiamsi bona adimplere noluerint.

INLUSTRIMUM POTES- TATUM] id est, virorum illustrissimorum, qui provin-

cias

cias regebant vice Principis.
Vide suprà ad pag. 7.

PLANGUNT] id est, dolent. Infrà lib. 1. adversùs avaritiam pag. 217. *Plangere eos præcipis*, id est, lugere ac plorare. Ibidem pag. 220. *Isti plangunt postquam acceperint sanitatem.* Et pag. 223. *Plangens id ipsum quòd tardè offert, plangens ac pœnitens quòd non prius.* Cyprianus in libro de lapsis: *Cum plangentibus plango, cum dolentibus doleo.* Sic Eligius Noviomensis Episcopus homilia 11. *Pœnitentiam quippe agere est perpetrata mala plangere & plangenda non perpetrare.* Plangere autem est pulsare seu collidere quolibet modo. Lucatius in sextum Thebaidos: *Planctus enim dicitur omnis collisio, Varronis opinione.* Statius in lacrymis Hetrusci: *Heu quantis lassantem brachia vidi planctibus.* Et apud Catullum, de bacchantibus: *Plangebant alii proceris tympana palmis.* Quod enim heic planctum

dicit Catulus, alii pulsum dixerunt. Ovidius lib. 4. *Metam. fab. 1. Femineæ voces, impulsaque tympana palmis.* Auctor carminis 26. *catalectorum: Et adducta tympana pulsa manu.* Statius lib. 1. *Achilleidos: Paulumque exercita pulsu erat acent.* Valerius Flaccus lib. 6. *Argonauticon: Illis omnis adhuc veterum tenor & sacer eris pulsus.* Unde apud Petronium: *Nudatum pectus in conspectu frequentie plangere.* Christiani autem vocis istius significationem transtulerunt ad dolorem ex pœnitentia descendente.

* EXEUNT] Deest heic aliquid quod supplendum est ex sequentibus.

AUCTRIX] Ita codex Corbeiensis. Pro quo editiones & codex Colbertinus habent *rixa*, nullo sensu. Ceterùm vocem *auctrix* non esse puræ Latinitatis adnotat Casaubonus in Notis ad Trebellium Pollionem.

MILITANTIUM] Antea pag. 56. legebatur *omnium militanti-*

um; sed nos hanc vocem, quæ non extat in codice colbertino, sustulimus ut inutilem.

Pag. 57. PRIVILEGII VINDICARE] Antea edideramus *privilegium*, secuti editionem Pithœanam. Nunc verò sequi placuit scripturam libri Corbeiensis, in quo habetur uti nos reposuimus. Sic etiam scriptum fuisse in archetypo ex quo expressus est codex quo Brassicanus utebatur, hinc colligi potest quòd ille edidit *Privilegium dicare*. Quo etiam modo habet editio Romana Galefinii. At in codice Colbertino legitur *privilegium ditare*.

PRODERAT] Idem co-Pag. 58. dex, *prodesset*.

SUFFRAGIO PAUCOR. BONOR.] Non existimabat ergo Salvianus innumeram proditorum hominum multitudinem suffragio paucorum bonorum à præsentibus malis posse defendi.

CHRISTIANI ESSE DICIMUR] Editiones Brassicani & Galefinii: *Qui nos Christianos esse diximus*. Pithœus ex suo codice: *Qui nos Christianos esse dicimus*. Pag. 59.

NOMEN SANCTUM] Hinc colligitur adhuc seculo illo sanctum fuisse visum Christiani nomen. Vide infra pag. 59.

& 79.

AD LIBRUM QUARTUM.

CHRISTUM CREDE-RE) In editione Pithœana legitur: *Nam cum, ut diximus, hoc sit hominis Christiani fides, fideliter Christi mandata servare &c.* Sed codex Corbeiensis habet: *Nam cum, ut diximus, b. f. b. c. fides, fideliter Christum credere, & hoc sit Christum fideliter credere, Christi mandata servare &c.* Rectè. Dixerat enim supra pag. 42. *Opinor fideliter hominem*

minem Christo credere, id est, fidelem DEO esse, hoc est, fideliter DEI mandata servare. Etherius & Beatus lib. 1. adversus Elipandum: *Non est Christianus qui rectè non credit Christum.* Athanasius in Epistola ad Epictetum relata in antiqua versione Concilii Ephesini Pag. 466. *Aut quomodo esse Christiani possunt qui dicunt alium esse Filium & alium DEI verbum.* Augustinus fermone 9. de decem choridis cap. 4. in nova editione. *Qui enim non de futuro seculo cogitat, nec propterea Christianus est ut id quod in fine DEUS promittit accipiat, non dum Christianus est.*

Pag. 60.

SICUT AIT QUIDAM] Locus est Salviani ex libro secundo adversus avaritiam. Quòd autem hunc locum laudet Salvianus iis verbis quæ indicare videantur alterius illum scriptoris esse quàm Salviani, hinc factum ut pronuntiaverit Pithœus dubitari non immeritò posse

an Salviani sint libri quatuor ad Ecclesiam Catholicam scripti sub nomine Timothei. Quæ de re vide quæ infrà dicuntur in præfatione nostra ad libros illos.

IDCIRCO AIT] Hæc est Pag. 62. lectio codicis Corbeiensis. Nam Pithœus habebat: *Usurpare deberet. Idcirco autem à demon.* Nemo non videt, opinor, saniozem esse lectionem codicis Corbeiensis.

COERCITIONIS] Co- Pag. 63. dex Colbert. *Coërtionis incidere.*

CONDEMNAS] Ita prorsus codex Corbeiensis & Colbert. cùm editio Pithœi haberet *judicas.* Existimabat autem Rittershusius heic legendum esse *condemnas.* Repetit infrà Salvianus pag. 65. 66.

IMPLENT CANONEM] Pag. 64. id est, stipendium quod servis dari consuevit.

IN SALOMOME] Verba hæc videntur esse superflua, & sapiunt glossema. Bbb 3 Verùm

Verum extant in omnibus antiquis codicibus & editionibus.

SILENTIARIOS] Admonet Rittershusius hoc loco Salvianum innuere quoddam fervorum genus qui compescente conservorum suorum garrulitati præpositi erant, silentiarii videlicet ob hoc dicti quòd silentium ceteris imperarent.

AD DOMINOS SUOS] Juretus in miscellaneis ad Symmachum lib. 10. Epist. 10. contendit legendum esse *ad dominis suis*.

Pag. 65. **IMMANIBUS**] Hæc est lectio libri Corbeiensis. Colbertinus & editiones, *omnibus*.

Pag. 66. **AUT ACTU**] Hæc lectio visa est sanior quàm Pithœana, quæ sic habet: *Quotus quisque enim juxta divitem pauper aut intactus aut tutus est?* Nostram adjuvat quòd in ora Pithœanæ editionis adnotatum est alibi legi, *auctus aut statutus*. Quæ est lectio codicis Colbertini.

PRÆFECTURA QUAM PRÆDA] Sidonius lib. 1. Epist. 7. de Arvando loquens: *Præfecturam primam gubernavit cum magna popularitate, consequentemque cum maxima populatione*. Vide rursus eundem Sidonium lib. 2. Epist. 1.

HONOR A PAUCIS EMITUR] Sic Innocentius IV. in Epistola scripta ad Archiepiscopum Narbonensem & ad Episcopum Helenensem, quæ edita est in additione ad caput 17. lib. 8. de concordia sacerdotii & imperii: *Feruntur etiam quidam esse Ballivi, Præpositi, & officiales eorum, qui multò carius solito sua emunt officia, spem damnabilis lucri ponentes in servitiis seu exactiõibus quæ ab Ecclesiis, hominibus earum, & personis Ecclesiasticis extorquent quodammodo violenter*. Vide hoc loco Rittershusium.

SCIUNT AFRICÆ] Haud scio an uspiam alibi Africa dicatur in numero plurali. Sed Salvianus, qui
scie-

sciebat sex in Africa provin-
cias esse, plurali sibi nume-
ro utendum putavit ut om-
nes significaret.

Pag.67. FIDUCIA IMPUNITA-
TIS) Lupus Ferrariensis in
libro de tribus quæstionibus
pag. 210. *Spes impunitatis
magna est pecandi illecebra.*
Vide quæ nos illic adnotavi-
mus.

OCCIDUNT SERVU-
LOS) Sibi enim id licere
Domini putabant propter
vim potestatis herilis, ut
pluribus docet Rittershusius.
Aliter Germani, apud quos,
ut Tacitus scribit, *verbera-
re servum ac vinculis & ope-
re coërcere, ratum. Occidere
solent, non disciplina & se-
veritate, sed impetu & ira,
ut inimicum, nisi quod im-
pune.*

Pag.68. NE H. I. Q. IRASCI-
TUR) Tacitus: *Nam quæ
spreta exolefcunt, si irasca-
re, agnita videntur.*

SED RESPONDERI]
Codex Colbertinus: *Sed ad
hoc responderi potest.*

QUAMLIBET] Idem
codex & heic & paulò post
habet *quantumlibet.*

MUTAVERIT VES-Pag.70.
TEM] Hinc illa adversus
Tertullianum querela, qui
à toga ad pallium & (ut Sal-
vianus ait pag. 241) ad phi-
losophiam religionis transfe-
rat. Sed quid sibi vult illud
quod Salvianus ait, eos qui
se Religioni applicabant,
vestem mutare consuevisse?
An monachi illorum tem-
porum aliqua peculiari veste
discernebantur à ceteris ho-
minibus? Vide Salvian. pag.
108. & quæ adnotantur in-
frà ad pag. 386. & seq.

IN SANCTIS OMNI-
BUS] id est, in iis qui con-
vertuntur ad DEum, ut dixit
paulò antè. Vide pag. 108.

QUASI FAMILIARI-Pag.72.
BUS] Codex Colbert. *quan-
do facilioribus.*

SUBSTANTIAM] Lege-Pag.73.
rem lubenter *subsistentiam.*
Verùm hæc duo vocabula fa-
cilè permutantur in veteri-
bus libris.

UT NEGLIGERET QUÆ FECISSET] Sic Hrabanus redarguens Episcopos qui Chorepiscopos deprimebant, quos ipsi ordinaverant, ait in libro de Chorepiscopis: *Ad quid ergo invocatur spiritus sanctus ab Episcopo ordinatore ut sanctificationem persona ordinanda tribuat, si ipse invocator & ordinator post consecrationem, quam rite peregit, mox reprehenderit? Numquid DEUM inridet, cuius donum poscit, cum postea ipsum donum spreverit?*

Pag. 74. FAVIS] Codex Colbert. *mellis.*

PIGNORA NOSTRA] Pignorum vocabulo Salvi-
nus liberos ut plurimum intelligit, veluti pag. 110. 172. 188. 199. 209. 212. 252. 254. 260. 264. Interdum tamen accipit pro illis qui cari nobis sunt pro parentibus, fratribus, ac similibus, ut in pag. 254.

Pag. 75. FECISSET OCCIDI]

Codex Colbert. *occidisset tantum.*

QUIA PRO IMPIIS] Co- Pag. 76.
dex Colbert. *ab impiis.* Editiones Brassicani & Galefinii, *ob impios.*

REDDERE CURAMUS] Hæc est editio Brassicani & Galefinii. Codex Corbeiensis habet *reddere reddamus*, Colbert. *reddibere reddamus.*

RETRIBUTIO] Codex Colbert. *redibitio.*

TANTÆ VICISSITUD.] Codex Colbert. *Tanta vicissitudine pietatis sua traheret.* Vox exemplo illic deest. Codicem suum & veteres editiones secutus est Pithæus. Nos codicem Corbeiensis.

CARITATE DEI] Ita Pag. 77.
codex Corbeiensis. Colbertinus & editiones habent *Christi.*

ROMANÆ PLEBIS] id Pag. 78.
est, Romani populi, ut dicit infra pag. 80. & Romani nominis pag. 82.

Pag. 79.

MALIGNIS SIMUS] Gregorium lib. 7. Indict. 2.
Corb. *malissimus.* Epist. 117.

HONORATIOR PERSONA] Juvenalis:

*Omne animi vitium tanto
conspicuum in se*

*Crimen habet quanto ma-
jor qui peccat habetur.*

SIDE CLERO] Herman-
nus Archiepiscopus Coloni-
ensis in Enchiridio vitæ Chri-
stianæ (quod edi solet cum
canonibus Concilii pro-
vincialis quod anno M D
XXXVI. habuit idem Archi-
episcopus) titulo *De Sacra-
mento penitentia*, hæc in-
ter cetera scribit: *Ex Perso-
na delictum fit capitalius.
Gravius peccat sacerdos aut
princeps quam laicus aut
privatus. Nugæ in ore lai-
ci, ut inquit Hieronymus,
nugæ sunt; in ore sacerdotis,
blasphemia.* Addi heic po-
test insignis locus ex epistola
84. S. Leonis: *Sacerdotum
enim tam excellens est electio
ut hæc qua in aliis membris
Ecclesie non vocantur ad cul-
pam, in illis tamen habeantur
illicita.* Vide sanctum

FOEDIUS INEBRIA-
TUR) Codex Colbert. &
veteres editiones, *foedior
inebriator.*

NOMINE) Idem codex
& veteres edit. *nomen.*

HÆRETICOR. AUT Paganorum.) Ad hunc lo-
cum respexit Salvianus infra
in initio libri quint pag. 93.
*Quia duo superius barbaro-
rum genera vel sectas esse
memoravimus, paganorum
atque hæreticorum &c.* Bar-
barorum qui tunc in orbe
Romano imperium agitabant
hæc erant vocabula. Fran-
ci, Saxones, Mauri, Scy-
thæ, Alani, Hunni, Got-
thi, Wandali. Franci, Sa-
xones, Mauri, Scythæ,
Alani, & Hunni, pagani
erant, ut in pagina 86. di-
cet Salvianus; ceteri, Chri-
stiani quidem, sed hæretici,
Arriana perfidia imbuti. Hos
enim de paganorum nume-
ro excipit Salvianus ipse pag.
96. ubi enumerans barbaros
qui Christiani erant, sed
Ccc hæc

Pag. 80.

hæretici, ait: *Omnes autem isti de quibus loquimur, aut Wandali sunt, aut Gothi. Nam de Romanis hæreticis, quorum innumera multitudo est, nihil dicimus.*

ROMANI POPULI) id est, earum gentium quæ Romano tum imperio parebant, sive intra Italiam, sive intra Galliam, Hispanias, Africam, aut ceteras Romani imperii provincias. Neque enim Romani populi appellatio apud Salvianum coercenda est ad urbem quam dicunt Romam, postquam universus orbis jure Romanæ civitatis donatus est. Tum enim (ut Plinius ait lib. 3. cap. 5.) una in toto orbe cunctarum gentium patria facta est. Eleganter itaque Rutilius Numatianus:

Fecisti Patriam diversis gentibus unam.

Profuit invictis te dominante capi.

Neque audiendus Lacerda, qui libro primo adversariorum sacror. cap. 1. exi-

stimat Romanum nomen apud Salvianum nomen esse Religionis, non gentis, ac Catholicos olim vacatos fuisse Romanos, ut ea nota distinguerentur ab hæreticis. Nam & ipse Salvianus ait in pag. 96. innumeram fuisse multitudinem Romanorum hæreticorum, uti mox dicebamus; & res ipsa clamat Salvianum, cum Romanos dicit, intelligere eos qui nondum excusserant jugum imperii Romani.

RELIGIOSOS) id est, clericos monachos, & omnino eos qui severius vitæ institutum profitebantur, quos statim opponit secularibus, tamquam genus hominum à stultitia seculi remotum. Eadem distinctione utitur etiam infra pag. 108. *Atque hoc videlicet laicitantummodo, non quidam etiam clericorum, seculares tantummodo, non multi etiam Religiosi.* Et pag. 268. *Nova quippe amentia tam seculares quàm etiam quosdam Religionis professos incessit*

cessit homines. Item pag. 282. *Illud durius atque molestius, quod quidam, ut arbitror, filiorum tuorum sub religionis titulo à Religione dissentiunt, & habitu magis seculum reliquere quàm sensu.* Hieronymus in Epistola ad Nepotianum de vita clericorum: *Nonnulli enim sunt ditiores monachi quàm fuerant seculares.* Et in epitaphio Nepotiani ad Heliodorum: *Sint ditiores monachi quàm fuerant seculares.* Idem qui heic sub Religionum nomine opponuntur secularibus, sancti à Salviano dicuntur pag. 229. *Sed dicit fortasse aliquis, non quidem debitores non esse sanctos, sed multò tamen majora hominum secularium esse debita, quorum sunt plura peccata.* Sanctorum porro appellatione Salvianum comprehendere monachos ipse nos docet pag. 180. *Ita igitur & in monachis, id est, Sanctis DEI, Afrorum probatur odium.*

Pag. 81. SED RESP. F. POSSIT)

Reposuimus veterem lectionem, quam vetustæ editiones habent & codex Colbertinus. In Corbeiensis scriptum est: *Sed respondere fortasse aliquis potest.*

FRANCOR. INFIDELIS) Pag. 82.

Infra hac pag. *Numquid tam accusabilis Francorum perfidia quàm nostra? Et mox: Si pejeret Francus, quid novi faciet, quid perjurium ipsum sermonis genus putat esse, non criminis? Flavius Vopiscus in Proculo: Ipsis prodentibus Francis, quibus familiare est videndo fidem frangere.* Vide Rittershusium.

CHUNORUM) Ita constanter codex Corbeiensis. Quo etiam modo legitur apud alios auctores. De tracta est dein litera *e*. non secus ac in Ludovico, Lothario, Hilderico & aliis. Editio Pithœi semper habet *Hunni*.

VITA VITIOSITAS)

Codex Colbert. & veteres edit. *una vitiositas.*

Ccc 2

SI-

SIRICORUM) Rittershusius monet legendum esse *sericorum*. Infitores sericarum vestium nominat Hieronymus lib. 1. adversus Jovinianum. Vide Sidonium lib. 1. epist. 8. & ibi Savaronem & Sirmondum.

Pag. 83. SACR. E. P. CHRISTUM) Reddidimus heic bona fide lectionem codicis Corbeiensis. In aliis quippe editionibus ista non bene disposita sunt,

PAGANIS BARBARIS) id est, Francis, ut docuit in proxima pagina.

NUNQ. MINUS COGITENT) Mirabile fallendi artificium. Sic apud Tacitum in secundo annalium libro Domitius Celer ajebat: *Perisse Germanicum nulli jactantius merent quam qui maxime latantur*. Quod imitatus est Famianus Strada in libro primo de bello Belgico: *Nulli jactantius fidem suam obligant quam qui maxime violant*.

Pag. 84. ARDENTISSIMA) Codex Colbert. acutissima.

QUICQUID IPSE ALTERI) Idem codex & editio Galestinii: *Quod ipse aliquando non tulisset*.

JURAVI INQUIT, P. CHR.) Hæ voces, per Christum, quæ defunt in aliis editionibus, additæ sunt ex codice Corbeiensis. Prorsus bene. Vide, lector. Probabis.

JURAMENTUM) Codex Colbert. & veteres edit. *Sacramentum*. Sed Corbeiensis & editio Pithœana habent uti nos edidimus. Pag. 85.

QUO UNO] Ita codex Corbeiensis. Colbertinus & editiones: *Quo dicto*.

EX IPSO CHRISTIANI] Tacitus loquens de Christianis: *Auctor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat*. Pag. 87.

IPSUM LEGUNT] Hæc defunt in codice Colbertino & in editionibus Brassicani & Galestinii.

DE CHRISTO] Codex Corb. & editio Pithœi de ip-

so Christo. Malè, ut opinor. Sufficit enim alterutrum horum vocabulorum. Codex Colbertinus habet *Christo*, non habet *ipso*. Contrà editiones Brassicani & Galefinii habent *ipso*, sed non habent *Christo*.

REMOTO OMNI [Edi. Pag. 89. tiones Brassicani & Galefinii, *Remota omnis splendoris regia dignitate*. Pithœus, *remota omni splendoris regii dignitate*.

VOLUTABRO LUTI] Pag. 90. Codex Colbert. cœni.

AD LIBRUM QUINTUM.

Pag. 92. DENIQ. DA MO. BONOS] Idem codex & veteres editiones. *Denique mores boni*.

ABSINTHIA] Hunc locum ita correximus propria auctoritate, tamenetsi & editiones & manu scripti libri repugnarent. Utrobique enim constanter legitur: *Quid juvat stomachum abstinentia, si &c.* Sed vitio librariorum irrepfit hic error. Nam Salvianus absinthia opponere voluit dulcibus, ut silentia clamori, & antidotum veneno. Nostram conjecturam confirmat ipse Salvianus etiam in pag. 137. *Sicut enim*, inquit, *optimi*

ac peritissimi medici dissimilibus morbis curas dispares præstant, atque aliis per dulcia medicamina, aliis per amara succurrunt. Unde interim colligitur verissimam esse viri doctissimi Nicolai Rigaltii observationem, qui in præfatione ad Tertullianum adnotavit etiam veterum librorum fide falsissimas lectiones adferi. *Nam & sunt libri veteres, inquit, depravatissimè correcti; neque ulla spes reducenda unquam veritatis, nisi tam veteres nanciscamur ut sint omni correctorum antiquitate vetustiores.*

DUO BARBAROR. GENERA]

NERA] Vide suprà pag. 80.

Pag. 94. AB AUCTORIBUS] In editione Pithœana scriptum est *auditoribus*. Quod Rittershusio displicuit, qui censuit legi debere *auctoribus*. Cùm itaque lectionem quam Rittershusius prætulit habeant editiones Brassicani & Calesinii, tum etiam codex Corbeiensis, eam in hac editione retineri debere visum est.

PURÆ TRANSLATIONIS] Loquitur de variis sacrorum bibliorum editionibus quæ tum in usu erant. Catholicos scripturas sacras, plenas, inviolatas, integras habere ait, hæreticos verò interpolatas, malè traditas, laceratas, debiles, convulneratas, ac veterum magistrorum traditione corruptas.

TRADITIONE] Existimabat Rittershusius corruptam esse editionem Pithœi, quæ *traditionem* habet. Visum itaque illi legendum esse *traditione*. Editiones

tamen Brassicani & Calesinii præferunt etiam *traditionem*. Nos secuti auctoritatem codicis Corbeiensis & conjecturam Rittershusii scripsimus *traditione*. Paulò post legebatur apud Pithœum *aut per hoc*; cùm & sensus postulet legi, *ac per hoc*, & in hac lectione consentiant ceteræ editiones & codex Corbeiensis.

NIHIL SCIUNT NISI] Existimare videtur Salvianus necesse esse ut unusquisque Christianus apprime imbutus sit arcanis fidei suæ, neque in sacerdotis sui fide conquiescat. Antiqui enim etiam feminas excitabant ad studium sacrarum literarum. Testis Hieronymus, qui in Epistola ad Gaudentium vult puellam scire memoriter Psalms, libros Salomonis, Evangelia, Apostolos, & Prophetas. Idem Marcelam laudat in ejus epitaphio quòd divinarum scripturarum ardor in ea esset incredibilis; & ad Demetriadem scribens, eam hortatur, ut
statuat

statuat quot horis sanctam scripturam ediscere debeat, quanto tempore legere, non ad laborem, sed ad delectationem & instructionem animæ. Et Victor Vitenfis in initio libri quinti de persecutione Vandalica Dionysiam quandam commemorat, quæ scripturarum divinarum scientia plena erat. Leodegarius denique Augustodunensium Episcopus ad matrem suam Sigradam scribens, quæ in monasterium se abdidit, eo inter alia argumento eam solatur quòd pro amissione rerum haberet scripturam sanctam divinam. Ea fuit priscorum temporum simplicitas & confidentia.

Pag. 96.

ROMANI MAGISTRI] De Gothis testatur Isidorus in Chronico, eos Arianos factos esse in gratiam Valentis Imperatoris: *Gothi ad Istrum bifariè in duobus Fridigerno & Athalarico divisi sunt Regibus. Sed Fridigernus Athalaricum Valentis Arriani Imperatoris auxi-*

lio superans, suadente eodem in hujus beneficii gratiam ex Catholico Arrianus cum omni gente Gothorum effectus, errorem sequutus est ipsius.

CURIALES] Paulò post Pag. 98. vocat principales. In antiqua versione Concilii Ephesini pag. 535. & apud Marium Mercatorem pag. 621. curialis dicitur qui in antiqua versione Concilii Chalcedonensis pag. 1137. vocatur principalis.

SACERDOTES D. N. RESISTANT] Infrà extremo libro quarto adversus avaritiam pag. 296. *Inter hæc quid agant quibus loquendi à Christo officia mandantur? DEO displicent, si tacent; hominibus, si loquuntur.* Ea ergo fuit istius seculi infelicitas ut sacerdotibus non liceret eloqui quod vellent, sed palpanda essent vitia subjectorum. Vide quæ de hoc argumento adnotata à nobis sunt ad caput 13. libri Agobardi de privilegio & jure sacerdotii.

ODE-

Pag. 99. ODERUNT) Codex Colbert. & veteres edit. *odiunt.*

MALIS PARCUNT) Idem liber & veteres edit. *male parcunt.*

BACAUDAS) Alii *Ba-gaudas*. Brassicanus & Gale-sinius *Baogaudas*. Codex Corbeiensis constanter habet *Bacaudas*. Quo etiam modo scriptum est apud Hieronymum, Idacium, & alibi. Nomen partium fuit, non gentis; ut vel ex ipso Salviano probari potest. Adnotat Josephus Scaliger in animadversionibus ad Chronicon Eusebii latrones tum lingua Gallorum vocatos fuisse *Bacaudas*, & *Bacaudæ* etiam vocabulo significari apud auctores illius ætatis latrocinium, tumultum popularem, motum agrestium, ac seditionem. Quod probat multis testimoniis. Vide etiam Justum Lipsium ad librum tertium annalium Taciti Lindenbrogii observationes in Ammianum Mar-

cellinum pag. 181. & Rittershusium ad hunc Salviani locum.

ETIAM HONOREM) Pag. 100. Codex colbert. *etiam nomen.*

ASPIR. AD LIBERT.] Pag. 101. Ita omnes editiones. Sed omnes libri veteres præferunt *Aspirare in libertatem.*

PERDAT TURBA] Ita Pag. 102. omnes editiones. Quibus consentit codex Corbeiensis. Ego tamen malem *pendat*, apertiori ac nobiliori sensu. Verùm quia ferri potest & vox *perdat*, nihil mutare voluimus.

NECET] Codex Colbert. *nocet*. Atque hæc lectio potest esse bona.

APUD NOS ROMANI] Pag. 104. Hæc est Lectio omnium editionum. Codex verò Corbeiensis habet *quàm apud Romanos*. Quæ lectio sanè bona est. Sed alia mihi videtur esse melior, quòd manifestius exprimat mentem auctoris.

POST

Pag. 105.

POST MORTEM PATRIS) Editiones Brassicani & Galefinii : *Post mortem patris nati, obsequiis juris posthumi, juris sui agellos non habent, & ad agrorum munus enecantur.* Editio Pithœi: *Post mortem patris postumi nati obsequiis juris sui agellos non habent, & agrorum munere enecantur.* Codex Corbeiensis : *Post mortem patris nati obsequiis juris sui agellos non habent, & agrorum munus enecantur.* Colbert. *Post mortem patris nati obsequiis viris postumi juris sui agellos &c. munus onerantur.* Itaque codex Corbeiensis non habet vocem *postumi*: quam glossema esse, & ab eo introductam qui putaret heic agi de filiis natis post mortem patris, qui vulgò postumi vocantur, mihi dubium non est. Et haud dubiè in ora libri reposita primùm fuit, deinde irrepsit in textum. Verùm quisquis ille fuit qui hanc vocem adjecit, non cepit sensum Salviani.

Illud enim tantùm vult Salvianus, filios patribus superstitibus, cùm ad illos possessio paternorum bonorum non perveniret, sed ad potentes quorum se dedititios antè fecerant patres, agrorum tamen conditionibus obnoxios fuisse, proque iis tributa pendere coactos, tamquam sui essent.

AGRORUM MUNERE)

Ita editio Pithœi. Editiones Brassicani & Galefinii habent *ad agrorum munus.* Codex Corbeiensis *agrorum munus.* Atque ea veterum editionum lectio mihi plurimùm placet. Ait quippe Salvianus filios illos, cùm agrorum paternorum possessores non essent, per summam tamen injuriam ad pensionem tributorum ac vectigalium, quæ tum munera vocabant, coactos fuisse, adeoque propterea enecatos quodam modo acerbissima & iniquissima tributorum intolerabilium exactio-
ne, quo modo si vita ab eis posceretur. Infra extremo

Ddd

libro

libro sexto pag. 140. *Aurum quod pendimus, munera vocamus.* Lectio tamen editionis Pithœanæ, quàm retinimus, bona est, & sensum bonum facit, tamen et si non ita nobilem ac alia.

Pag. 107. ATQUE FRAUDAMUR) Hæc desunt in codice Colbertino & in editionibus Brassicani & Galestinii.

Pag. 108. ET SUMMAM DIV. CULTUS] Secuti sumus hoc loco auctoritatem editionum. Codex Corbeiensis sic habet: *Et sumant divini cultus habitum magis quàm actum, existimantes vestem tantummodo exuere, non mentem.* Sic ergo nos scripseramus in prima editione. Sed nunc visum est retinere veterem lectionem.

Pag. 109. INCONTINENTIA) Ita codex Corbeiensis. Et ita legendum esse monuerat Rittershusius pro eo quod editiones habent *in incontinentiam.*

INLICITA COMMITTUNT) Sanctus Gregorius

lib. 9. Epist. 39. *Quia illicita se fecisse meminerat, laudabiliter à licitis abstinebat.* Vide lib. 7. Capitular. cap. 61. & Capitula Karoli Calvitit XXVIII. Cap. 12.

NON MATRIMONIA)

Damnat eos qui continentiam professi, interim à reorum alienarum pervasione non abhorrebant, abstinentes à licitis, & illicita committentes. Deinde addit peccata interdixisse DEum, non matrimonia, id est, castos viri & uxoris amplexus. Attamen non ait licitum cuilibet esse quovis tempore uxorem ducere. Quod ideo visum est adnotare, ne quis hinc cum Baleo *contra Papistici cœlibatus assertores* colligat licere sacerdotibus uxorem ducere. Nam Salvianus heic non loquitur de sacerdotibus, sed de illis qui cum in conjugio constituti essent, continentiam profitebantur. Quod ætate illa vulgatissimum fuisse multis testimoniis confici posset. Videndus tantum Salvianus, cum

eum in hoc loco, tum etiam infra pag. 190. 231. 235. Ceterum ex ipso Salviano probatur fuisse illa ætate aliquod genus hominum qui coelibem vitam ducerent, nimirum Religiosos. Nam in libro tertio adversus avaritiam radarguens eos qui opes ac facultates suas ita inter liberos suos dividebant ut iis qui seculum reliquerant usumfructum tantum portionis suæ permitterent, proprietatem denegarent, ait demum in pag. 261 parentes illos hac ratione factum suum defendere solitos ut

dicerent non debere his quicquam mansurum relinquere qui filios non haberent quibus facultates suas relinquerent. *Quibus enim, inquit, relictam substantiam relicturi sunt filios non habentes?* Quibus verbis manifestè indicat Salvianus fuisse tum aliquod vitæ institutum cui annexa erat perpetuæ professio continentia.

SECTATORES] Codex Corb. *adfectatores*; Colbert & editiones Braslicani & Galefinii, *effectores.*

AD LIBRUM SEXTUM.

Pag. 112. **A**CHAR] Colbert. *Achor*, Corb. *Acham.*

Pag. 114. **MALAR MEN. VITIO]** Petronius in historia matronæ Ephesinæ: *Vitio gentis humana concupiit scire quis aut quid faceret.* Tacitus in libro de vita Agricola: *Proprium humani ingenii est edisse quem læseris.*

NOVIMUS * MODIS] In ora Pithocanæ editionis hæc scripta sunt: *In veteri exemplari adnotatum est deesse hic aliquid. Et verò multa deesse quis non videat?* In codicibus nostris nihil adnotatum est istiusmodi, neque locus vacuus relictus. Veruntamen quia constabat ista

Ddd2 non

non esse sana, nos in hac editione asterisco notandam labem esse censuimus.

Pag. 116. AC SICUT SING.] In aliis editionibus legitur: *ac si ex singulis annis bini &c.* Codex Corbeientis; *ac sicut singulis annis &c.* Ego lubenter legerem: *Ac si, sicut singulis annis, bini &c.* Solebant enim veteres librarii, ut jam observatum est à viris eruditissimis, non geminare easdem syllabas; & ideo frequenter vocabula monosyllaba omittebant propter hunc morem. Simile autem huic rei exemplum extat in capite ultimo Evangelii secundum Joannem; ubi cum & sensus ipse & editio Græca vetustissimorumque præterea codicum Latinorum auctoritas postulent legi. *Si sic eum volo manere donec veniam, quid ad te, hodie tamen constantissima in vulgatis editionibus lectio est Sic eum volo manere &c.* omissa voce *Si*. Sic apud Cassianum lib. 7. de incarnatione Domini cap. 14. scriptum

est, *neesse est ut sine matre ibi intelligi potest; cum tamen legendum esse ut si sine matre & sensus ostendat & vetus codex MS. bibliothecæ regiae.* Itaque simile quippiam potuit accidisse huic Salviani loco.

TRIBULIS] Tribulos ait Rittershusius machinulas esse ferreas, dolosas, tetragona forma, quæ in quamcunque partem iucubuerint, unum aut plures aculeos infestos protendunt. Latinis autem alio vocabulo murices dici scribit. Vide porrò Vossium in Etymologico linguæ Latinæ.

CONTUMELIOSA T. Pag. 119.

O. PRINCIPIA] Infrà lib. 2. adversus avaritiam pag. 227. de Christo: *humiliatus usque ad humani exordii pudorem & pannorum involviam & præsepis vilitatem.* Hieronymus in Epistola de filio prodigo ad Papam Damasum: *Quæ autem potest major esse clementia quàm ut Filius DEI, hominis Filius nasceretur, decem mensium fasti-*

fastidia sustineret, partus expectaret adventum, involveretur pannis, subiceretur parentibus, per singulas adoleret atates, & post contumelias vocum, alapas, & flagella, crucis quoque pro nobis fieret maledictum, ut nos à maledicto legis absolveret, patri factus obediens usque ad mortem. Ita legendus est hic Hieronymi locus apud Agobardum in libro adversus Felicem cap. 20.

Pag. 120.

FLEVISSE LEGIMUS)
Nimirum ob mortem Lazari. Unde collegerunt Judæi illum valde amatum fuisse à Christo. Nam supremæ illæ lacrymæ amantium magis sunt quam moerentium, quamvis etiam moerentium sint & amicos desiderantium. Eant nunc qui nos omnem humanitatem exueri jubent in dolore ac Stoicos agere, muliebriâque corda habere dicunt illos viros qui flent in funeribus suorum amicorum. Vide Notas nostras ad Epistolam primam

Leidradi Archiepiscopi Lugdunensis pag. 147.

CHRISTIANOR. PR. Pag. 121.

CONFESSIO] five pactio, ut vocat Isidorus in libro secundo de Ecclesiasticis officiis cap. 24. *Prima pactio est qua renuntiatur diabolo & pompis ejus & universæ conversationi illius. Cæsar in expositione fidei: Interrogamur enim in baptismo utrum abrenuntiemus diabolo, pompis & operibus ejus; & abrenuntiaturos nos voce libera respondemas. Tum in hac seu confessione seu pactione constituit fundamentum fidei nostræ dicens: Si ergo hoc quod primum est, & in quo fundamentum Christianæ Religionis consistit, fideliter conservamus &c. Et paulò post: Consideret unusquisque conscientiam suam; & si se implese viderit quod promisit, abrenuntiasse diabolo & pompis illius, non solum verbis, sed etiam operibus recognoscat, fidem integram se servasse congaudeat. Per pompas autem*

Ddd 3 dia-

diabolo intelligebant tum spectacula & stultitias gentium, ut docet vel unicus Salvianus. Sequioribus seculis diaboli pompis renuntiare dicebantur qui vitam monasticam amplectebantur, cujus rei innumera proferri possent exempla.

Pag. 122.

FUNDAMENTUM SYMBOLI] id est, promissionem quam facimus renuntiare nos diabolo & pompis ejus. Istud ipsum fidei fundamentum vocat Cæsarius Arelatensis, uti mox dicebamus.

SACRAMENTUM SALUTIS] id est, baptismum. Cassianus lib. 6. de incarnatione Domini cap. 18. *Agnosce Sacramenta salutis tue, per qua innovatus, per qua renatus es.* Cuncta autem peccata in baptismo aboleri persuasum fuit veteribus Christianis. Ea de causa nonnulli baptismum suum differebant usque ad finem vite suæ. Quod etiam ævo Ludovici Pii observatum fuisse à Danis testatur Remp-

tus in vita sancti Anscharii cap. 51. *Baptismi tamen susceptionem differebant, hoc sibi bonum dijudicantes ut in fine vite suæ baptizarentur; quatenus purificati lavacro salutari, puri & immaculati vite aeternae januas absque aliqua redardatione intrarent.*

Pag. 123.

FESTIVITAS ECCLESIASTICA] Ex hoc etiam loco patet veteres Christianos, cum festivitas Ecclesiastica agebatur, debuisse per totum diem interesse mysterioris. Vide Notas ad librum Agobardi de insolentia Judæorum pag. 20.

ECCLESIAM DERELINQUUNT] Proprium humani ingenii est potissimum delectari vetitis ac nocituris, salubria contemnere & aspernari. Clamabat Ecclesia adversus ludos seculares ac publicos, impios esse illos, ludibria spei nostræ, adeoque non decere Christianos iis interesse. Et tamen cum contingebat eodem tempore ludos seculares & con-

ven-

ventus divinos agi, templa summi DEI solitudine deserta videri poterant præ multitudine Christianorum qui ad circos & theatra confluebant; adeo ut etiam si quippiam ludicrum eveniret quando populus erat intra Ecclesiam, certatim omnes divina deferrent ut iudicia sectarentur. Ea de causa visum est Africanis Episcopis petendum esse ab Imperatoribus *ut spectacula theatrorum ceterorumque ludorum die dominica vel ceteris Religionis Christiane diebus celeberrimis amoveantur; maxime quia sancti Pasche octavarum die populi ad circum magis quam ad Ecclesiam conveniunt.* In capite 61. collectionis Africanæ. Immo cum id malum nimis grande videretur sanctis viris, poenam excommunicationis in Concilio Carthaginensi quarto intentarunt iis qui die solenni, pretermisso solenni Ecclesie conventu, ad spectacula convenirent. Saperintne post ista Afri, non constat; nisi quod

cum heic Salvianus invehatur adversus publicam in hoc capite omnium ferme Christianorum insaniam, probabile est de Afris quoque loquutum esse, quos perditissimos tum fuisse graviter conqueritur in multis istorum librorum locis. Vide Sirmondi Notas ad sermonem quartum sermonum S. Augustini.

POSTEA SED VID.)

Locum hunc esse luxatum censet Rittershusius, neque id injuria. Sanè animus erat ista omittere usque ad hæc verba *in principio*, nisi magna codicum & editionum consensus heic esset. Hæc enim profectò non sunt hujus loci. Sic itaque omnino legendum: *Fornicatione pascamus. Et ideo &c.*

MOGONTIAC.] Editio Brassicani: *Non enim hoc agitur jam in Massiliensium civitate; sed quia excisa & deleta est.* Quo etiam modo in multis libris legisse se testatur Nicolaus Serarius in libro

libro 1. rerum Moguntiac. cap. 7. Editio Galefinii: *Non enim hoc agitur jam in Moguntiacensium atque Massiliensium civitate.* Codices Corbeiensis & Colbertinus non habent voces illas *atque Massiliensium.* Sanè mendum heic subesse suspicati sunt viri docti, quòd huic lectioni repugnet Salvianus, qui eo loco loquitur in singulari. Præterea locus non erat agendi de Massilia, quam nemo prodidit barbarorum incursione tum fuisse vastatam. Et licèt vastata fuisset, cur eam inter urbes Germaniæ & Belgicæ nominaret, tam procul à Narbonensi? Vir clarissimus Hadrianus Valesius ista intelligens admonet pro *Massiliensium* legendum esse *Bassiliensium.* Quæ civitas est in Rauracis, Moguntia paulò vicinior. Probabilis conjectura, nisi veterum codicum auctoritas heic de sola Moguntia agi doceret.

Pag. 124.

IMPURITAS [Codex Colbert. *iniquitas.*

VICINOS NOSTROS] Pag. 125.
id est, Treveros. Hinc ergo colligitur Salvianum non fuisse patria Treverensem. Pag. 127.

VEL PRODIGIOSIS]
Redundare arbitror voces illas & admonitionem esse librarii; qui cùm ambigeret quidnam potius legendum esset in exemplari quo is utebatur, *prodigis*, an *prodigiosis*, utrumque posuit, lectori iudicium integrum re-relinquens. Idem enim accidit in libro quarto adversus avaritiam pag. 282. ad illum locum, *quadam adjetione conantur*, cùm in recentiori codice regio legatur *quadam allectione vel allegatione conantur.* Ita pariter in Vincentio Lirinensi pag. 349. pro *Sanctus Gregorius Episcopus & confessor de Nazianzo* legitur in codicibus manu scriptis *confessor de Nanzando vel Nazabos.* Vide Notas ad Epist. 3. & 122. Lupi Ferrariensis.

SI ENIM INLUSTREM] Vide infra pag. 179.

Pag. 128. **EXTINCTUS EST**] Bras-
 ficanus ita legit hunc locum:
Et statim dum tenebat per-
cussus est. Utraque lectio
bona est. Nam sic legitur
in libro secundo Regum cap.
6. Iratusque est indignatione
Dominus contra Ozam, &
percussit eum super temerita-
te, qui mortuus est ibi juxta
arcam DEI.

Pag. 130. **PAX LONGA**] Infrà
 pag. 142. *Sint vitia ista &*
longæ pacis & opulenta secu-
ritatis. Cyprianus in libro
de lapsis: Et quia traditam
nobis disciplinam pax longa
corruperat, jacentem fidem
& penè dixerim dormientem
 censura caelestis crexit. Cas-
fianus lib. 5. de institutis re-
nunt. cap. 19. ne pacis otio
miles Christi lentescens inci-
piat oblivisci colluctationum
suarum gloriosa certamina,
ac securitatis inertia disso-
lutus, premiorum stipendiis
ac triumphorum meritis de-
fraudetur. Idem collat 21.
cap. 34. presumptivæ liber-
tatis securitate solvuntur:
 Casarius Homil. 32. *Sunt*

enim nonnulli qui post Reli-
gionis professionem, quia vi-
dentur exisse de seculo, ni-
mia securitate solvuntur.
 Tacitus in libro 13. annali-
 um: *Legiones pace longa*
segnes. Et lib. 1. Hist. Pri-
mores senatus etate invalidi
& longa pace desides. Et in
vita Agricolæ: Plus tamen
ferocia Britanni praeferunt,
ut quos nondum longa pax
emollicrit. Cassiodorus lib.
 3. Var. epist. 1. *Populorum*
ferocium corda longa pace
mollescunt.

OBSessa EST ROMA) Pag. 131.

Dubium est de qua Romana
 obsidione heic loquatur Sal-
 vianus, eane quæ sub Alari-
 co Rege Gothorum conti-
 git, an ea quæ sub Gense-
 rico Rege Wandalorum, an
 de utraque. Nam varias
 barbarorum irruptiones in
 hoc loco commemorat jam
 inde à temporibus Honorii
 Imperatoris. Rittershusius
 interpretatus est de obsidione
 Genserici, quæ facta fuisse
 videtur circa tempora quibus
 hos libros scribebat Salvia-

Ece

nus.

nus. Nam ille paulò post scribit everfas fuisse Sardiniam ac Siciliam, quas à Wandalis invasas fuisse post mortem Valentiniani August. id est Anno CCCCLV. testatur Victor Vitenfis in initio librorum quos scripsit de persecutione Wandalica.

GENTES BARBARÆ] Franci nimirum, Gothi, Burgundiones, Alani, Alamanni & si qui præterea.

HISPANIÆ TERRAS] Contigisse ista sub imperio Honorii Aug. tradunt scriptores historiarum, Vide Marianam lib. 5. rer Hispan. cap. 2.

SARDINIA AC SICILIA] Victor Vitenfis in libro primo de persecutione Wandalica scribit Gensericum Regem Wandalorum totius Africæ ambitum obtinuisse post mortem Valentiniani III. Imp. *neque & insulas maximas Sardiniam, Siciliam, Corsicam, Ebusum, Majoricam, Minoricam, & alias multas.* Verùm Gensericum deprædatum fuisse Siciliam anno CCCCL.

docet Idatius in chronico, *Gaisericus, inquit, Siciliam deprædatus Panormum diè obsedit,*

CIRTÆ] in Numidia, quæ postea dicta est Constantina. Hinc Episcopi Constantinienses Fortunatus & Peulianus in collatione Carthaginensi. Notum est omnibus Cirtense Concilium habitum anno CCCV. sub Secundo Episcopo Tisigitano; cujus mentio tum alibi, tum apud Augustinum in breviculo collationis diei tertiæ cap. 15. & seqq.

CARTHAGINIS] anno CCCCLXXXIX. ut docet Marcellinus Comes: *Hoc tempore Gensericus Rex Wandalorum Africa civitates Carthaginemque metropolim cum suis satellitibus occupavit X. Kal. Novembris.* Idatius in chronico: *Carthagine fraude decepta decimo quarto Kal. Novemb. omnem Africam Rex Gaisericus invadit.*

ECCLESIA CARTHAGIN.] id est, populus Carthaginensis.

Pag. 132. IN SOLO PATRIO] Ex hoc loco rectè collegerunt Centuriatores Salvianum patriam Gallum fuisse.

PRÆCELSIORES) Codex Colbert. & veteres edit. præcellentiores.

Pag. 133. URBS GALLOR. OPU- LENT.] Antea legebatur *urbs Gallorum Trever opulentissima*. Sed quia constitit vocem *Trever* esse glossema, quod ex ora libri irrepfit in textum, eam merito censuimus esse tollendam. Argumento sunt sequentia legitimam esse hanc emendationem. Addit enim: *Promptum est de qua dicam*. Sic enim legitur in codice Corbeiensi, cum Colbertinus & editiones habeant, *de quo*. Itaque sic primitus scriptum fuit in Salviano: *Denique expugnata est quater urbs Gallorum opulentissima. Promptum est de qua dicam*. Quasi diceret: Neque verò necesse est à me illam nominari, cum eo ipso intelligatis quam urbem dicere velim cum dixi

Galliarum opulentissimam, & res sit adeò recens ut clades ejus nemini possint esse ignotæ. Unde factum est ut in ora libri à studioso quodam additum sit *Trever*. Quæ vox deinde ab imperito librario in contextu posita est. Nam de Augustæ Treverorum everfione quadruplici fidem facit suprâ Salvianus pag. 123. ubi eam vocat urbem excellentissimam. Et pag. 137. de eadem loquens ait: *Nam quia te tria excidia non correxerant, quarto perire meruisti*. Vir clarissimus Hadrianus Valesius in libro tertio rerum Francicarum pag. 113. existimat Coloniam Augustam Trevirorum ab Francis quartum expugnatam circa XVII. imperii Valentiniani annum, Clodione regnante.

IN ALIA] id est, Colonia Agrippina, ut arbitratur Hadrianus Valesius.

SUMMA URBE GAL. Pag. 135. LOR.) id est, Treverensi, ut rectè explicat idem Valesius. Sic eadem tempestate

Cassianus in libro primo de incarnatione Domini cap. 2. mentionem faciens ejusdem urbis Treverensis, sufficere putavit si eam nominaret maximam Belgarum urbem.

CIRC. AB IMPERAT.)

id est, ab Honorio & Constantio, ut explicat idem Valesius.

Pag. 137. DEFUNCTORUM) Codex Colbert. & veteres edit. *mortuorum*.

PER AMARA) Plinius lib. 1. Epist. 8. *Medici salubres sed voluptate carentes cibos blandioribus aloquiis prosequuntur,*

PROSECTIONEM) Editiones Brassicani & Galefinii *sectionem*, Pithceana *præsectionem*, Codex Colbertinus *profectionem*. Malè utrobique. Rectè Corbeien-sis, qui *profectionem* scriptum habet. Sic apud Tacitum in libro 16. annalium, ubi de Thrasea loquitur, legendum admonet Freinshe-mius, *profectisque utriusque*

brachii venis, cum vulgò legatur *porrectisque*.

INLUSTRAMUS DO. Pag. 139.

NARIIS] Vel unicus hic locus facit adversus eos qui negant opes conferendas esse ad ornanda templa, docent-que erogandas in pauperes, qui sunt viva Christi templa. Subveniendum est necessitati pauperum. Quis negat? Sed tamen negligenda non est domus DEI. Vide Notas ad Agobardum pag. 77.

SED QUIA INVETE. Pag. 140.

RATA] Hunc locum sic ediderunt Brassicanus & Galefinius: *Aut injuria DEI hoc forte non est, aut esse indignior possit, aut multis & magnis opus sit; sed inveterata in nobis malorum omnium labe aliter jam non vitiosi esse non possumus nisi ut omnino non simus.*

MUNERA VOCAMUS]

Hunc locum egregiè illustrat Isaacus Casaubonus in Notis ad Spartianum, ad illum locum è vita Adriani, qui de immi-nutis stipendiis querebatur.



AD LIBRUM SEPTIMUM.

SEquentes duo libri omnino perturbati sunt in editione Brassicani, ita ut quæ ad septimum pertinent, legantur interdum in octavo. Cui similem querellam protulit Balduinus ad librum tertium Optati Milevitani. Galestinus itaque cuncta in ordinem reduxit apud Salvianum.

Pag. 142. ORBE ROMANO) Ita codex Corbeiensis, cum Colbertinus & editiones Galestinii & Pithœi haberent *urbe Romana*. Prorsus malè. Nam & ipse Pithœus rectè admonuit reponendum esse *orbe Romano*. Diverfus error extat in pag. 155. & 156. ubi pro *de urbe in urbem* legebatur *de orbe in orbem*. Natus hic error ex eo quòd antiqui librarii sæpe numero confundebant literas *o* & *u*, ut iis notum est qui libros manu exaratos tractant. Sed ne id in sequioris tantùm ætatis scriptoribus notetur,

extant apud Gruterum & alibi veteres inscriptiones in quibus quoque hæc literarum permutatio contigit. Sic in veteri lapide Narbonensi Rusticus urbis illius Episcopus dicitur *Episcopi Arotoris de sorore nepus*. Quintilianus autem in lib. 1. institut. cap. 4. sic scribit: *Quid o atque u permutata invicem, ut Hecoba & notrix, Chulcides & Pulixena scriberentur? Ac ne in Græcis id tantum notetur, dederont ac probaveront.* Vide Notas ad epistolam 115. Lupi Ferrariensis.

NON ORATORIA Pag. 144.
PROBAT.] Secuti sumus editionem Galestinii. Brassicanus habebat: *Non oratoria probatione qua uti alii in causis solent, ut producant quoscunque &c.* Pithœus: *Non utor rei approbatione qua uti alii in causis solent: ut &c.* Codex Corbeien-

biensis : *Non ut scire à probatione qua &c.*

Pag. 145. DAMNAVERE MERETICES] Brassicanus : *Et pauca quæ in his vitam infelicissimam vivunt. Damnavere meretrices apud Aquitanos : at ubi ea civitas in loc. &c.* Galestinus : *Et pauca quæ in his vitam infelicissimam damnavere meretrices. Apud Aquitanos verò quæ civitas in locuplet. &c.* Hæc est etiam lectio Pithocæ editionis & codicis Corbeiensis.

Pag. 146. MATRIMONII DIGNITATE] Recurrit hoc loco celebris illa Ælii Veri sententia apud Spartianum : *Uxor nomen est dignitatis, non voluptatis.*

Pag. 148. PRÆSUMPTIO LONGÆ VITÆ] Ea ut plurimum cogitatio intrat animos juvenum. Utamur, inquit, dum fata sinunt, melioribus annis. Superest longa series annorum. In extrema ætate emendabimus quicquid offensæ contractum fuerit. Impia sanè cogita-

tio ; attamen aliquo modo tolerabilis, si cui certa spes esset longæ vitæ. Sed verissimum est id quod Tullius observavit, mortem propter incertos casus quotidie imminere, & propter vitæ brevitate nunquam longè posse abesse. Itaque multos adhuc admodum juvenes, plurimos medio in spatio integræ ætatis mors intercipit. Quare sequenda est omnino Cæsarii Arelatensis Episcopi sententia, cujus hæc sunt verba : *Nam si nos in extremo vitæ nostræ tempore ad agendam pœnitentiam vel ad redimenda peccata vel crimina reservamus, timere debemus ne fortè nos mors inopinata præveniat & ad illud subitaneum tempus pœnitentiæ non sinat pervenire ad quod nos mortifera securitate volumus reservare. Et ideo timeamus illud quod scriptum est : Nolite tarde converti ad Dominum &c.* Præclare Augustinus in homilia 41. *Si quis autem positus in ultima necessitate*

agri-

agritudinis sue voluerit accipere pœnitentiam & accipit, & mox reconciliabitur, & hinc vadit; fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non presumimus quia bene hinc exit.

Pag. 152. GOTHIMETUERENT]

Proprium id gentis fuisse adnotat Hadrianus Valesius in libro tertio rerum Francic. pag. 142.

IN ALIENIS SACERDOTIBUS) id est, Catholicis. Nam Gotthi erant Ariani. Et constat Gotthos, si Regem Evarigem excipias, nemini intra Gallias vim intulisse in causa fidei. Vide Cassiodorum lib. 8. Var. epist. 24.

Pag. 153. DUX NOSTRÆ PARTIS]

Litorius: qui potestate secundus ab Aëtio, Hunnis auxiliariis præerat; confidensque fallacibus & vanis haruspicum responsis, Tolosam regni Gotthici caput obsederat anno quadringentesimo trigesimo nono. Vide Rittershusium ad hunc locum, Sirmondum in No-

tis ad Panegyricum Aviti, & Hadrianum Valesium in eodem libro tertio pag. 141.

POENAR. MAGNI-Pag. 153.

TUD.] Brassicanus & Galesinius legunt *longitudinem*.

LONGO TEMPORE] Contrà Idatius in chronico ait Litorium occisum fuisse post dies paucos quàm captus est.

REX HOSTIUM] Theo-Pag. 154.

doricus, qui Gotthis Romanorum hostibus imperitabat, ne quis heic agi putet de Hunnis.

WANDALOS] Hoc loco intelligendum est bellum à Castino duce Romano gestum anno CDXXII adversus Wandalos. Idatius in chronico: *Castinus magister militum cum magna manu & auxiliis Gothorum bellum in Bœtica Wandalis infert: quos cum ad inopiam vi obfidionis arctaret adeo ut se tradere jam pararent, inconsultè publico certamine conficiens, auxiliorum fraude*

de deceptus, ad Tarraconam victus effugit. Vide Hard. Valesium pag. 121.

Pag. 155. DE URBE IN URBEM)

Ita codex Corbeiensis. Pro quo editiones omnes habent *de orbe in orbem.* Eadem porrò emendatio adhibita est alteri loco in pagina sequenti. Vide quæ suprâ adnotata sunt ad pag. 142.

Pag. 156. INDURAUERUNT)

Codex Colbert. *inclinauerunt.* Sed hæc lectio non est bona.

Pag. 157. VASTANDAM AFRICAM) De Wandalis intelligendum id est. Vide eundem Valesium pag. 100.

UT QUID FIERET EXEGIT) Infrâ epist. 9^a pag. 205. *Quia recte ipse scripsisse dicitur per quem factum est ut scriberetur.*

POENAM DIU DEBITAM] Seneca in præfatione libri decimi controversiarum: *Sunt dii immortales lenti quidem sed certi vindices generis humani.* Vide Notas ad Lupum Ferrar. pag.

473.

GAIUM NON ESSE Pag. 161.

GAIUM) Hæc est omnino scriptura codicis Corbeiensis. Tertullianus in apologetico cap. 48. *Atenim Christianus, si de homine hominem ipsumque de Caio Caium reducem repromittat, lapidibus magis, nec saltem cæstibus, à populo exigetur.* Et in libro primo ad nationes cap. 4. *Ego miror Caium Seium gravem virum factum Christianum.* Inepta autem est loci istius Salviani lectio quam exhibent editiones Brassicani & Galestinii, ubi sic legitur: *Sed hoc tam rarum est ac novum quàm rarum videri potest quemlibet ganeonem non esse ganeonem, aut quemcunque sevum non esse sevum.* Codex Colbertinus: *Ganeum non esse ganeum aut quemcunque sevum non esse sevum.* Mirum est quantum in his nominibus sibi permiserint veteres librarii. Apud Optatum in libro tertio legitur: *Cai Sei aut Caia Seia, adhuc paganus es aut pagana?* Et in libro sexto:

to:

to: *Cai Sei, Caia Seia, quando te tenes?* Utrobique scriptum fuisse *Gaiasei* in editione Germanica admonet Balduinus, qui statim adnotat *Caium* aut *Seium* aut *Titium* appellari à jurisconsultis folere quemvis hominem.

Pag. 162. BACCH. CRAPULÆ]

In codice Colbertino scriptum est *crapularum turbarum*. Quo etiam modo habet codex Corbeiensis.

Pag. 163. NON DISCUTIO]

Loquitur de sacerdotibus, id est, Episcopis, & reliquis è clero. Horum actus discutere se nolle ait ob reverentiam quæ ministris DEI debetur. Hieronymus in epistola ad Rusticum: *Non est humilitatis mea neque mensura judicare de clericis & de ministris Ecclesiarum sinistrum quippiam dicere.* Idem in caput 8. Ecclesiasticis ait difficilem esse accusationem in Episcopum. *Nemo quippe, inquit, audet accusare majorem. Propterea quasi sancti & beati & in præceptis Domini ambulantes,*

augent peccata peccatis. Difficilis est accusatio in Episcopum. Si enim peccaverit, non creditur; & si convictus fuerit, non punitur. Sanctus Gregorius in libro primo de cura pastoralis cap. 2. *Nemo quippe amplius in Ecclesia nocet quàm qui perverse agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc nemo redarguere presumit; & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur.* Vide libellum precum Marcellini & Faustini pag. 37.

PLEBEM ECCLESIA- Pag. 164.
AST.] id est, populum Ecclesie sive urbis Carthaginensis. Suprà pag. 45. *populos Ecclesiasticos.* Infrà pag. 166. *in Ecclesiastico corpore.* Et pag. 216. *Ecclesiastica plebis.*

APOSTOLI INSTITU- Pag. 165.
ERANT] Putabat Salvianus Ecclesiam Carthaginensem esse unam ex Apostolicis. In quo falsum illum fuisse
Fff mani-

manifestum est. Nam Tertullianus, homo Afer, dum Apostolicas Ecclesias recenset, Carthaginensem omittit, non omisiurus haud dubiè si qua antiquitus fama fuisset Apostolos penetrasse usque ad Carthaginem. Verùm quia Salviani ætate Catholici intra Africam contendebant Africanos ab Apostolis Evangelium accepisse, quod à Donatistis præfractè negabatur, Salvianus odio haud dubiè adversus Donatistas & amore Catholicorum faciliè amplexus est opinionem eorum qui dicebant Afros Christiana fide imbutos fuisse ab Apostolis. Videbat præterea Carthaginensem Episcopum æqualibus privilegiis frui cum antistitibus Ecclesiarum Apostolicarum; ideoque faciliè illi fuit transire in eam sententiam quæ volebat Africanam Ecclesiam ab Apostolis fuisse fundatam. Quod à Numidis quoque creditum fuisse docet Gregorius Magnus lib. I epist. 75. quæ ad eos

scripta est. Vulgata itaque ambitione antiquitatis, dum quælibet Ecclesia antiquissimam originem sibi asserere conatur, inventi sunt qui suos Africæ Apostolos vindicarent, Petrum nimirum Apostolorum principem & Laudatum quendam primum Carthaginis Episcopum ab Apostolis ordinatum. Sed has nugas merito explodit illustrissimus Cardinalis Baronius.

MULIEBREM TOLERANTIAM] Sic apud Sallustium in Catilina: *Viri patii muliebria*. Et apud Tacitum, de Cesonino: *In illo fœdissimo cœtu passus muliebria*. Muretus verò noster in commentario ad secundam Catilinariam adnotat Massilienses, qui essent alioqui optimis sanctissimisque legibus instructi, non ob hoc traduci debuisse ab Athenæo quòd mæculæ veneri dediti essent, cum apud Cretenses quoque & Lacedæmonios quorum utrique sanctissimis ac severissimis legi-

legibus usi putantur, pu-
rorum tamen amores probro
non ducerentur.

Pag. 166.

**ECCLESIASTICO
CORPORE**] Quod constat
ex clericis & laicis. Vide No-
tas ad pag. 164.

CIVITATE ROMANA] id est, in urbe Carthagi-
nensi. Hanc enim vocat
urbem Romanam, quia Ro-
mano tum imperio ea sub-
jecta erat.

Pag. 169.

PECULATUM] Codi-
ces Corbeiensis & Colber-
tinus habent *peculationem*.
Quo etiam modo adnotatum

est in margine editionis Pi-
thocæ.

DIFFICILE EST QUIP- Pag. 170.

PE] Sensus istius loci non
fatis mihi videtur constare.
Mallem itaque sic legere.
*Inutile est quippe impudici-
tiam verbo aut jussione tolli,
nisi fuerit ablata; & inutile
est pudicitiam verbo exigi,
nisi fuerit exacta.* Mallem,
ut dixi, ita legere hunc lo-
cum. Sed repugnant edi-
tiones & scripti libri.

ULLUM PIGNUS] id Pag. 172.

est, ullum librorum, ut pau-
lò antè dixit.

AD LIBRUM OCTAVUM.

Pag. 175.

FALSÆ LAUDIS] Qui se
falsò laudari volunt, u-
tinam bene intelligerent
quanti momenti sint laudes
in immerentem conjectæ.
Sidonius lib. 8. epist. 10. *Sym-
machianum illud te cogitare
par fuerat: Ut vera laus
ornat, ita falsa castigat.*
Vide Notas viri clarissimi Ja-

cobi Sirmondi ad hunc Sido-
nii locum.

**DEO ACCENSEN-
TUR**] Editio Brassicani:
*Tamquam DEO dulces existi-
mantur; & ne accusabiles & c.*

CERTE SI INLUSTR.] Pag. 176.

Suprà pag. 127. *Si enim in-
lustrem ac prepotentem vi-
rum & c.*

Pag. 177.

CÆLESTEM ILLAM] Ita editio Pithœi & codex Corbeiensis. Prorsus bene. Tertullianus in capite 23. apologetici: *Ista ipsa virgo Cælestis pluviarum pollicitatrix.* Julius Capitolinus in vita Pertinacis, loquens de proconsulatu quem Pertinax gessit in Africa: *In quo proconsulatu multas seditiones perpeffus dicitur, vaticinationibus earum qua de templo Cælestis emergunt.* Ammianus Marcellinus lib. 22. *Asclepiades Philosophus, cum visendi gratia Juliani peregrè ad id suburbanum venisset, deæ Cælestis argenteum breve figmentum quocunque ibat secum solitus efferre, ante pedes statuit simulacri sublimes.* Trebellius Pollio in Celfo: *Afri Celsum Imperatorem appellaverunt, peplo deæ Cælestis ornatum.* Pleraque alia testimonia congeffit illustrissimus Cardinalis Baronius ad annum CCC XCIX. ut ostenderet DEum Cælestem qui Carthagine colebatur, Deam fuisse. Ca-

saubonus tamen in Notis ad vitam Antonini Caracalli, laudans hunc Salviani locum, legit *Cælestem illum*, deceptus auctoritate editionum, tamenetsi fateatur pro dea à plerisque omnibus fuisse habitam. Ex templo porrò deæ Cælestis apud Carthaginem via cælestis; cujus meminerunt Victor Videntis in initio librorum de persecutione Wandalica & Prosper in libro tertio de prædictionibus cap. 38. De dea Cælesti vide Lipsium lib. 5. epistolar. quæstion. epist. 22. Causabonum in Notis ad vitam Antonini Caracalli, Rittershusium ad hunc locum, & Henr. Valesium in annotationibus ad Ammianum Marcellinum pag 232.

MENSÆ DÆMONI-Pag. 178.

OR.] Huc usque auctoritas codicis Corbeiensis. Cetera præ vetustate oblitterata sunt partim, partim verò deperdita.

MONACHIS, ID EST Pag. 180.
SANCTIS] Vide supra in Notis ad pag. 6. & 80. Theodorus

dorus Studita lib. 2. epist. 32. apud Baronium ad an. 809. §. 4. *multoque magis sancti, monachum ordinem loquor, cum exultatione exultabunt.*

SERVOS DEI] id est, monachos. Infrà : *Et si quando aliquis DEI servus de Ægyptiorum cœnobiis.* Et pag. 181. *apparere in plateis & compitis DEI servos sine contumelia atque execratione vix licuit.*

Pag. 181. PALLIATUM ET PALL.] Hæc ergo tum erant insignia monachorum.

ÆGYPTIOR. COENOBIIIS) Cœnobiolorum Ægypti meminit & Castor Episcopus Aptensis in epistola ad Joannem Cassianum: *Te quidem potissimum orientalium cœnobiolorum doctrina expertum tenemus, maximeque*

Ægyptiorum. Vide Cassianum ipsum.

SACRIS HIERUS. LOCIS) Sic vocabatur territorium illius urbis, ob memoriam conversationis & passionum Christi. Hieronymus in epistola ad Paulinum de institutione monachi: *Beatus Hilarion cum Palaestinus esset & in Palaestina viveret, uno tantum die vidit Hierosolimam, ut nec contemnere loca sancta propter viciniam, nec rursus Dominum loco claudere videretur,*

LATRONES QUIDEM) Pag. 182. Imitatum ex M. Tullio in secunda Antonianarum: *Quod est aliud beneficium latronum P. C. nisi ut eis se vitam dedisse dicant quibus non ademerint.*

* * *



AD EPISTOLAS.

EPIST. I.

Pag. 184. **P**ROPINQUUS MEUS)
Hinc colligi potest Sal-
vianum patria Agrippinen-
sem fuisse, uti dicebamus
in vita ejus.

Pag. 185. **EGO * FORE**) Deest
hoc loco quippiam, Repo-
nendum autē videtur: quem
ad vos ego mitto, sperans
fore &c.

EPIST. II.

Pag. 186. **E**UCHERIO EPISCOPO]
Lugdunensi, viro per
eas tempestates clarissimo;
cujus filios Salonium & Ve-
ranum Salvianus in disciplina
habuerat, uti dictum est
suprà. Ad eum rursus
scribit Salvianus epistolam
octavam.

**PEDISS. N. HON. AD-
ROG.**) Stephanus Torna-
censis epist. 61. *Vivat in ali-
is illud vulgare proverbium:
Honores mutant mores.* Jor-

danus in epistola ad G. Prio-
rem apud Duchesnum to. 4.
pag. 755. *Nunc autem rogo
ne sit veridicum de vobis il-
lud vulgare proverbium: Ho-
nores mutant mores.* Ar-
nulphus Lexoviensis epist.
2. *Creat enim cor novum &
novos affectus nova consci-
entia dignitatis.* Vide No-
tas ad epistolam 109. Lupi
Ferrariensis.

EPIST. III.

AGRICIO EPISCOPO]
Antipolitano in secun-
da Narbonensi, haud procul
Massilia, qui Concilio Aga-
thensi subscripsit anno quin-
gentesimo sexto. Neque
enim assentior Rittershusio,
qui epistolam illam putat
scriptam fuisse ad Agræcium
Episcopum Senonensem, ad
quem circa annum CDLX
XIII. scripsit Sidonius de
ele-

electione Episcopi Bituricensis. Et is ipse fortassis est Agræcius qui circa annum CDLVIII. nondum Episcopus mille solidos Ecclesiæ Narbonensi obtulit, ut de pecunia sua iuvaret Rusticum sedis illius Episcopum, qui Ecclesiam suam dudum exustam reedificabat, ut constat ex veteri inscriptione Narbonensi quam alibi edidimus.

EPIST. IV.

Pag. 187. **HYPATIO ET QUIETÆ**) Erant hi parentes Palladiæ, quæ Salviani uxor erat.

NEQUE EX SUP. METUS SIT] Hæc verba parentesi includenda esse censebat Rittershusius. Ego verò arbitror ea non esse hujus loci, adeoque jugulanda.

Pag. 188. **PIGNORA**) id est, proles. Vide suprâ pag. 74.

Pag. 189. **SOROR**) Sic vocat Palladium uxorem suam, ex canonum præscripto & per-

petua consuetudine præ Ecclesiæ, in qua, qui ex conjugio ad sacerdotium adficebantur, ab uxorum toro separati, non aliter deinceps cum illis quàm cum sororibus versabantur. Vide Sirmundum in Notis ad Sidon. lib. 5. epist. 16. & Rosweydi onomasticon ad vitas patrum.

SERVIUS GALBA] Vi-Pag. 193. de Ciceronem in Bruto cap. 23. & Quintilianum lib. 2. institut. cap. 15.

EPIST. VIII.

DOMINO ET DULCISS.) Ita vetus codex monasterii Corbeiensis, in quo continentur opera Eucherii Lugdunensis Episcopi. Pithæus edidit: *Domino & dulci suo Eucherio Episcopo Salvianus*. Reliqua istius epistolæ emendata sunt ad fidem ejusdem codicis Corbeiensis, qui nunc extat Parisiis in bibliotheca sancti Germani de Pratis.

BEATOR. PIGNOR.) Pag. 199. Salo-

Salonii videlicet & Verani.

MAGISTRI ECCLESIA-
AR.) Non puto eos tum fu-
isse Episcopos. Non dice-
ret enim Salvianus eos cœ-
pisse esse magistros Ecclesia-
rum, sed dixisset jam esse
magistros. Nam magistro-
rum Ecclesiæ appellatio pri-
mùm pertinet ad Episcopos;
sed tamen etiam ad alios,
ut colligitur ex commonito-
rio Vincentii Lirinensis. Un-
de Julianus Pomerius in lib.
2. de vita contempl. cap. 2.
*Ea vera esse divinis testimo-
niis conabor ostendere; si
prius pauca de laude vero-
rum sacerdotum, qui sunt
Ecclesiarum magistri, pro-
tulero.* Primus igitur ma-
gisterii gradus, ut ego qui-
dem arbitror, fuit in Dia-
conis. Auctor enim est
Philostorgius lib. 3. hist. ec-
cles. cap. 17. Leontium An-
tiochiæ Episcopum factum,
discipulum suum Aëtium de-
signasse ad ordinem Diaconi,
eique ut Ecclesiæ dog-
mata in Ecclesia doceret

mandasse, hunc verò dia-
conatum equidem suscipere
noluisse, docendi tamen
munus admisisse. Idem li-
bro 4. cap. 3. ait Eudoxium,
qui Leontio successerat in
Episcopatu Antiocheno, Eu-
nomium designasse ad dia-
conatum, ipsum verò non
suscepisse ministerium prius
quàm accuratè ad doctrinam
pervenisset. Ex his duobus
locis confici posse puto do-
cendi munus, contrà quàm
placuit viro docto, affixum
fuisse officio Diaconi, sal-
tem in Ecclesia orientali.
Nam quod ad occidentalem
pertinet, nihil adhuc certi
compertum habeo. Sed
cùm antiquitas Diaconos
etiam constituerit in sacer-
dotio, colligi hinc non ab-
surdè potest majus aliquid
fuisse illorum officium quàm
simplex ministerium, adeo-
que etiam docendi auctori-
tatem illis fuisse commissam
non secus ac Episcopo &
Presbytero non tamen sinè
jussu Episcopi.

DISCIPULI QUON-
DAM

DAM MEI] Fuerat enim Sal-
 vianus , uti jam non se-
 mel observavimus , magister
 Salonii & Verani ; ut docet
 ipse Salvianus , cum in hoc
 loco , tum etiam in epistola
 sequenti. Quod etiam te-
 statur Eucherius in epistola
 ad Salonium quæ præfigi
 solet quæstionibus veteris &
 novi testamenti. Item Gen-
 nadius de Salviano loquens:
*Magister Episcoporum san-
 ctorum Salonii & Verani.*

EPIST. IX.

Pag. 199. **D**OMINO AC BEA-
 TISS.] Hæc inscriptio,
 quæ deest in aliis editioni-
 bus , sumpta est ex perve-
 tusto codice MS. bibliothecæ
 regię , in quo continentur
 libri quatuor adversus avari-
 tiam. Similem Strabi Ful-
 densis epigraphen ex episto-
 la ad Gerungum nos olim at-
 tulimus in Notis ad epistolam
 decimam Lupi Ferrariensis.
 Non extare autem istam Sal-
 viani epistolam in vetustissi-
 mo exemplari suo admonuit

Pithœus. Porrò cum ea
 hætenus edita fuerit in fron-
 te librorum adversus avari-
 tiam , vice præfationis , nos
 eam ad librum epistolarum
 censentes pertinere debe-
 re , ab eo loco illam amo-
 vimus , & inter epistolas re-
 posuimus.

PER HONOREM PA-
 TRI] Ideo Salonius Salvia-
 ni pater erat per honorem,
 quia Episcopus erat. Epif-
 copi enim per illas tempe-
 states inferioris ordinis cleri-
 cos , atque adeo Presbytero-
 ros , ut plurimum filios ap-
 pellabant. Hieronymus Au-
 gustino : *Vale mi amice ca-
 rissime , atate fili , dignita-
 te parens.* Sidonius Arver-
 norum Episcopus lib. 7.
 epist. 17. loquens de Vi-
 ctorio Comite : *quem jure
 seculari patronum , jure Ec-
 clesiastico filium , excolo ut
 eliens , ut pater diligo.* Cas-
 siodorus in psalm. 109. *Quod
 etiam in hac nostra conver-
 satione hodieque contingit ,
 ut filius Episcopus factus ,
 patris sui pater vocetur , non*
 Ggg nascen-

nascendi ordine, sed honore. Hinc illa vox Hieronymi de Episcopis: *Meminerint se patres esse, non dominos.* Augustinus tamen Episcopus Hieronymum Presbyterum appellat fratrem. Jam tum enim receptum erat discrimen Episcoporum & Presbyterorum. *Quamquam enim*, inquit Augustinus ad Hieronymum scribens, *secundum bonorum vocabula que jam Ecclesia usus obtinuit, Episcopatus Presbyterio major sit, tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est.*

SALONIO EPISCOPO]

Vide Notas ad præfationem librorum de gubernatione DEI, & Sirmondum in Notis ad Sidon. lib. 7. epist. 15.

Pag. 200. NOMEN AUCTORIS]

Cassianus collat. 28. cap. 1. ait omnem dictorum vacillare auctoritatem si dicentis meritum subtrahatur.

Pag. 202. NOMEN SIT MAGIS POEN.] Ita omnino codex regius. Pro quo Pithœi

editio habuit: *Nomen sit magis pœnitentiæ quàm fructus.* Sic Ruricius Lemoicum meorum Episcopus ait in libro 2. Epist. 12. *Pœnitentiæ, frater carissime, non nomine est suscipienda, sed opere.* Sic enim legendum est pro eo quod Canisius edidit *Patientia, frater &c.* Eadem medicina adhibenda est homiliæ 35. Casarii Episcopi Arelatensis; in qua hodie legitur, *ut cum in eis oculos patientiæ clauserit, cum legendum sit, pœnitentiæ.* Item homiliæ Pauli Diaconi: *Omnis peccator, si vult ad veniam attingere, abjecto universo cordis tumore debet omnimodis se terram & cinerem existimare; ut à vera humilitate incipiens, valeat sibi à Domino patientiam impetrare.* Legendum est itaque *pœnitentiæ.*

EXOMOLOGESI] Infrà

lib. 1. adversus avaritiam pag. 221. *Sed quomodo ei exomologesis diuturna opitulabitur in extremis sito?*

Ter-

Tertullianus in libro de pœnitentia cap. 9. *Is actus qui magis Græco vocabulo exprimitur & frequentatur, exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia DEUS mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordie illicitæ. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacro & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illi quæ peccavit tristi tractatione &c. Vide Cyprianum in libro de lapsis, ubi de Anania Azaria, Misahela, & Daniele loquitur.*

PROFESSIO SANCTI-TATIS] Vide suprâ pag. 6.

Pag. 204.

TIMUIT) Antea legebatur *Timothei*, non solum in

editis, sed etiam in codice regio. Itaque quia constabat mendum heic esse, & substituendam esse aliquam vocem quæ conveniret homini pavidò & formidoloso, secuti sumus vestigia sinceræ lectionis quæ latebant in voce *Timothei*.

VALE MI SALONI] In Pag. 205.

editione Pithœana legebatur: *Vale decus nostrum atque subsidium*. In codice verò regio sic: *Vale mi decus nostrum atque subsidium*. Vocula *mi* addita in codice regio indicavit addendum hoc loco esse nomen Salonii. Suprà pag. 200. *Sed quia, ò mi Saloni, decus nostrum atque subsidium*. Is enim erat illius seculi mos ut eadem honoris epitheta repeterent in fine epistolarum, quemadmodum observavit Sirmondus ad Ennodium, & patet ex Sidonio, Fauſto, Ruricio, & aliis.



AD LIBROS ADVERSUS AVARITIAM.

PRIMA librorum istorum editio prodiit Basileæ studio Joannis Sichardi anno MDXXVIII. in volumine quod inscribitur *Antidotum*. Ex epistola porrò nona Salviani, quæ vice præfationis adjecta erat his libris, Centuriatores collegerunt Salvianum esse verum auctorem istorum librorum. *Sunt autem*, inquit, *isti quatuor libri in eo volumine impressi quod inscribitur Antidotum. Et si in re dubia divinare liceret, pronuntiaremus prope modum istorum librorum verum auctorem esse ipsum Salvianum, moti argumento istius præfationis.* Contra vir celeberrimus & doctissimus Petrus Pithœus pronuntiavit dubitari non immeritò posse an hi libri auctorem habeant Salvianum, ea de causâ, uti su-

prâ diximus, quòd in libro quarto de gubernatione pag. 60. Salvianus locum quendam citet ex libro secundo ad Ecclesiam Catholicam, tamquam hi libri non essent sui, dicens: *Sicut ait quidam in scriptis suis.* Verùm & hunc Pithœi scrupulum eximere literatis hominibus studuit Rittershusius in præfatione ad opera Salvianica & auctoritas Gennadii exigit ut quatuor illos libros Salviano adjudicemus. Nam Gennadius recensens opera Salviani, inter ea discertè ponit *adversus avaritiam libros quatuor.* Fateor ejus nomen non extare in fronte operis, & titulum istorum librorum esse *Timothei ad Ecclesiam catholicam*, non verò *adversus avaritiam.* Sed causam cur nomen auctoris suppressum sit, de-
cla-

clarat ipse Salvianus in epistola ad Salonium. Titulum autem *adversus avaritiam* apposuimus, moti auctoritate operis & testimonio Gennadii. Quod autem locum ex libro secundo *adversus avaritiam* sic laudat tamquam alterius cujuscumque scriptoris esset, istud neminem movere debet. Nolu-erat enim in initio Salvianus agnosci auctor istorum librorum, ut vitaret omnibus modis terrestris gloriæ vanitatem, & ne auctoritatem salubribus scriptis personæ suæ parvitas derogaret, quemadmodum ipse loquitur in epistola ad Salonium pag. 204. Itaque sui ipsius locum adduxit, ac si alterius esset, ut in eodem latendi proposito duraret. Sic Vincentius Lirinensis disputationem suam *adversus hæreticos absconso nomine suo intitulavit Peregrini adversum hæreticos*, ut Gennadius docet. Quo exemplo Faustus Reiorum Appollinarium

Episcopus citat in epistola 16. locum quendam ex sua ad G. Diaconum epistola, hoc modo, *in epistola quadam scriptum sit.* Quin & Salvianus ipse in libro primo de gubernatione pag. 10. adferens locum quendam ex epistola à se scripta ad Catturam Religiosam feminam, nullam nominis sui mentionem facit; sed hæc tantum ait: *Non imprudenter quidam hoc loco dixit, quod si repugnante corporis fortitudine &c.* Maneat itaque fixum ac constans librorum istos esse Salviani. In iis porrò emendandis usi sumus duobus antiquis codicibus MS. bibliothecæ regiæ, uti dictum est in præfatione, uno item vetustissimo bibliothecæ Colbertinæ & editione Pithœana. Contulimus porro illam cum editione horum librorum quam Augustæ Trevirorum emisit anno MDCIX. Joannes Macherentinus Theologus de So-

Ggg3 cie

cietate Jesu, quamquam habuit cum quo libros il-
 nullo admodum magno fru- los conferret, & pleraque
 ctu. Macherentinus enim correxit propria au-
 nullum vetustum codicem ctoritate.

AD LIBRUM PRIMUM.

Pag. 206.

A CERBIOR ANIMAR.)
 Codex Colbert. acer-
 bimore animarum inf. peste &
 tetriore fil. tuor. labe con-
 ficiat.

PARUM EXISTIMANT]

Antea legebatur *existiman-*
tes. Prorsus malè. Nos ita-
 que correximus.

Pag. 207.

PLEBIS TUÆ] id est,
 plebis ecclesiasticæ, seu po-
 puli Christiani. Vide suprâ
 pag. 163.

AT NUNC PRO HIS)

Imitatum fortassis ex Sallu-
 stio in præfatione belli Catil-
 linarii: *Verùm ubi pro labo-*
re desidia, pro continentia
& equitate libido atque su-
perbia invasere, fortuna si-
mul cum moribus immuta-
tur. Et infrâ: *Nam pro*
pudore, pro abstinentia, pro

virtute audacia, largitio,
avaritia vigeant.

VIRIB. MIN. VALIDA)

Hieronymus in prologo vi-
 tæ Malchi monachi, loquens
 de Ecclesia: *Scribere enim*
disposui quomodo & per quos
Christi Ecclesia nota sit, &
adulta persecutionibus creve-
rit, martyriis coronata sit,
& postquam ad Christianos
Principes venerit, potentia
quidem & divitiis major,
sed virtutibus minor facta
sit. Agobardus in libro de
 privilegio & jure sacerdotii
 cap. XIII. *Quod nos absque*
ambiguo de Ecclesia dicere
possumus; qua in annis pri-
oribus ad tolerantiam passio-
num robusta, in perfectio-
ne veritatis erecta, ad osten-
sionem signorum valida, stu-
 dio

dio miranda continentia & abstinencia accincta, contra rabiem luporum sollicita ad resistendum improbis libera, at nunc omnibus infirmitatibus mentis ita est languida ut ad dicendum quidem nec tutum sit nec possibile. Sic Jacobus de Vitriaco cap. 8. hist. occid. pag. 288. ait magistrum Fulconem amisisse bonam famam postquam coepit congregare peccunias.

TURBIS OPULENS)
Hoc loco fuit magna codicum regionum consentio cum editione Pithœana. Itaque vocem *turbis* heic retinuimus, cum antea legeretur *turpis*.

Pag. 208. CUIQUE SCIENTIA]
Secuti sumus consensum veterum librorum. Nam editiones habent: *Cui quantum scientia, tantum interim conscientia abes.*

Pag. 209. PARTICIPARE] Ita editio Pithœi & libri manu scripti. Macherentinus tamen legit *perpetuare*. Quæ lectio mala non est.

AD IRAC. PROVOC.) Pag. 211.
Locus est ex capite sexto Epistolæ beati Pauli ad Ephesios, interdum laudatus à veteribus. Cyprianus in libro tertio ad Quirinum cap. 71. Patres quoque asperos circa filios esse non oportere. Et vos, parentes, nolite in iracundiam mittere filios vestros. Hieronymus in epistola ad Theophilum Alexandrinum adversus errores Joannis Hierosolymitani: Et si ille, inquit, perire cupit ne perditii pereant, quanto magis bonis parentibus providendum est ne ad iracundiam provocent filios suos. Theophylactus in hunc Pauli locum: Non dixit Diligite. Hoc enim natura ab ipsis vel invitis postulat. Sed, ne ad iracundiam provocetis. Hoc est, non exheredes eos faciatis, neque abdicetis eos, neque onerosos vos illis ac servos exhibeatis, ceu non sint liberi, sed mancipia, semperque erga ipsos agro sitis animo. Egregiam porrò regulam quo-

ad

ad hoc proponit Muretus
 conterraneus meus in libro
 septimo variarum lectionum
 cap. 4. quod est de officiis
 parentum in liberos. *Qua-
 re, inquit, neque exultanti
 juvenum libidini fræna la-
 xanda sunt, neque ferox æ-
 tas duriore quàm par est im-
 perio magis etiam exasperan-
 da; sed ea utendum dexte-
 ritate ut ii qui reprehendun-
 tur, ipsi non odio sui, sed
 amore potius & beneficentia
 id fieri sentiant; omninoque
 ita temperanda omnia ut ab
 odio severitatem comitas
 vindicet, & à contemptu se-
 veritas comitatem.*

Pag. 212. DEUS VIVORUM) id
 est, eorum qui credunt fu-
 turam resurrectionem mor-
 tuorum. Nam prisca Chri-
 stiani eos vocabant mortuos
 qui negabant resurrectio-
 nem; uti dictum est ad epi-
 stolam secundam Leidradi
 Episcopi Lugdunensis, quæ
 edita est cum operibus Ago-
 bardi. Aliàs DEUS, DEUS
 est mortuorum & vivorum.

Omnes enim vivunt ei, ut
 ait sanctus Lucas.

ECCLES. PLEBIS] id Pag. 216.
 est, populi Christiani. Vi-
 de suprâ pag. 163.

DUPL. ET CUPID.] Pag. 218.
 Codices regii: *Ac per hoc du-
 plex noxa est & cupiditatis
 & infidelitatis.* Vetus ta-
 men post vocem *cupiditatis*
 addit vocem *nox*.

CONVERSIONIS] Uter- Pag. 219.
 que codex regius habet *con-
 versationis*.

ALIOQUI PECCARE]
 Imitatus est hoc loco Salvia-
 nus sanctum Ambrosium Epif-
 copum Mediolanensem; qui
 in exhortatione ad pœni-
 tentiam totus in hoc est ut
 ostendat se plurimum dubi-
 tare de eorum salute qui po-
 siti in ultima necessitate ægri-
 tudinis suæ accipiunt pœni-
 tentiam. De his ergo ait:
*Si autem tunc agere vis ipsam
 pœnitentiam quando peccare
 jam non potes, peccata te
 dimiserunt, non tu illa.* De
 iisdem hæc sunt Augustini
 verba in homilia 41. *Age
 pœnitentiam dum sanus es.*

Si

Si sic agis, securus es. Quare securus es? Quia pœnitentiam egisti eo tempore quo & peccare potuisti. Si autem vis agere pœnitentiam tunc quando peccare non potes, peccata dimiserunt te, non tu illa.

POST MORTEM] Ma-
cherentinus legit *morbum*.

Pag. 221. NULLA CURARE] Ve-
tus codex regius sic olim
habebat. Verùm id emen-
datum est, & pro *nulla* re-
positum est *nullo*.

INCURIÆ] Ita correxi-
mus ex ingenio, cùm antea
legeretur *injuria*. Sicut enim
mollitiem voluptatis oppo-
nit asperitatibus, sic longas
delicias incuriæ. Alioqui
enim vox *injuria* nullum
heic bonum sensum facit.
Sic Tertullianus in libro de
pœnitentia cap. 9. docet
moris fuisse olim in Eccle-
sia ut is qui exomologesim
faciebat, sacco & cineri in-
cubaret, corpusque sordi-
bus obscuraret. Et in pagi-
na superiore Salvianus dam-
navit ægrotorum incuriam:

*Quòd si aut tanta vis morbi,
aut tanta ægrotorum fuerit
incuria.*

PLACATIONIS] Ita co-Pag. 223.
dices regii. Colbertinus &
prima editio habent *suppli-
cationis*.

DELICTIS SUIS] In co-
dice Colbertino scriptum
primò fuit *tuis*: sed istud
expunctum est, & supra
lineam scriptum *ejus*, quod
obscurè annotavit Pithœus
in margine editionis suæ.

INQUIT ALIQUIS] Co-
dex Colbert. *inquit quamvis
peccator aliquis oblaturus
est*. Vetus editio: *inquit
aliquis, quamvis magnorum
criminum reus, oblaturus
est totum Domino? Imò ni-
hil &c.*

OMNIA AV. EX DEO] Pag. 224.
Codex Colbert. *Omnia enim
ex DEO*.

QUI UTIQUE] Hanc le-
ctionem præfert idem codex.
Regii, *qui itaque*. Editio-
nes. *Quia itaque*.

FACULTATEM] Ita
omnes libri veteres. Sed
editiones habent *facultates*.

Hhh

PRO-

PROROGARE] Ita primò scriptum fuit in veteri exemplari bibliothecæ Colbertinæ; sed postea expuncta est littera *o* & supra lineam apposita littera *e*. Ex quo Pithœus effecit *prerogare*.

Pag. 225.

NEGLIGENTIIS COGITAT.] Negligentiarum vocabulo significari minuta & levia peccata, quæ nos hodie dicimus venialia, factis, ut reor, manifestum est, & patet etiam ex homilia 32. sancti Cæsarii Episcopi Arelatensis & ex regula S. Columbani. Quænam verò tum putarentur esse le-

via peccata aperit ex parte idem Cæsarius in homilia 31.

IDOLATRIÆ] Ita omnes libri veteres & heic & supra. Quo loco observandum est Latinos codices ferè semper habere *idolatria*, rarò *idololatria*. Inde *idolatrie* Francis.

SI POTES ÆST. Q. DEBEAS) Hæc desunt, in omnibus antiquis exemplaribus. Habentur tamen in prima editione & in aliis.

QUOMODO? Istud deest in recentiori codice regio & Colbertino,

AD LIBRUM SECUNDUM.

Pag. 227.

PARTEM RER. UNIVERS.] Antea edideramus *partem suscepit rerum univrsarum*, quia ita inveniimus scriptum in veteri codice regio. Verùm cum vocem *suscepit* non habeant reliqua exemplaria neque editiones, & superflua sit, eam delere placuit.

TERRAS ADIIT] Ita editiones. Verùm hoc membrum in nullo veterum librorum reperitur quibus nos utimur.

HUMANI EXORDII PUDOREM) Vide supra in Notis ad pag. 119.

COMPARATIONE Pag. 228. PEIOR.] Sic Tacitus in primo

mo annalium libro ait Augustum non caritate aut reip. cura successorem sibi adscivisse Tiberium, *sed quoniam adrogantiam severitatemque ejus introspecterit, comparatione deterrima sibi gloriam questivisse.* Vide hoc loco Rittershusium.

Pag. 236. EXPEDITI OMN. SARCINIS) Admonuit Pithœus in veteri suo codice scriptum fuisse *expediti omnibus sarcinis*, cum editiones haberent *expediti aut omnibus aut penè omnibus sarcinis.* Nos secuti auctoritatem Pithœani codicis, tum etiam regionum, constituimus veram lectionem.

IMITANTUR) Omnes libri veteres habent *mercantur.* Verum paulò post scriptum est *imitatores.* Quod confirmat lectionem librorum editorum. Vide infra pag. 262.

Pag. 231. MONACHUS AB INCUNABULIS) Ea olim erat parentum auctoritas ut liceret illis filios suos etiam in pueritia vovere DEO, sic

ut non liceret illis abjicere institutum quod patrum imperio susceperant. Concilium quartum Toletanum can. 48. *Monachum aut paternam devotio aut propria professio facit. Quicquid horum fuerit alligatum tenebit. Proinde his ad mundum revertendi intercludimus aditum & omnes ad seculum interdiciamus regressus.* Gregorius III. in epistola quarta ad Bonifacium: *Addisti adhuc quòd si Pater vel Mater Filium vel Filiam intra septa monasterii in infantia annis sub regulari traderint disciplina, utrum liceat eis, postquam pubertatis annos impleverint, egredi & matrimonio copulari. Hoc omnino devitamus: quia nefas est ut oblati à parentibus DEO Filii voluptatis frenata laxentur.* Per vulgatum porrò fuisse hoc jus etiam ævo Hieronymi patet ex epistola ejus ad Demetriadem, in qua hæc leguntur: *Solent miseri parentes & non plena fidei Christi*
Hhhz *stiani*

stiani deformes & aliquo membro debiles filias, quia dignos generos non inveniunt, virginitati tradere. Extat in veteri chartulario Ecclesiæ Cadurcensis formula istius paternæ oblationis, quam edemus post Notas in appendice actorum veterum. In chartulario verò Ecclesiæ Tutelensis extat vetus charta ex qua colligitur in filios quandoque derivatam quoad hoc fuisse potestatem patriam erga fratres in tenera ætate constitutos. Nam Gualterius de Navis fratrem suum Eliam monachum fecit anno MXCIX. in monasterio Tutelensi. At non solùm filios jam natos volebant patres, sed etiam eos qui nondum nati, in utero matris positi erant. Extant istius moris aliquot illustra exempla, quorum antiquius est illud quod Ekkehardus junior refert in capite decimo de casibus monasterii S. Galli. Anno MLXX XIII. Petrus Bernardi de Corneliano supremis testa-

menti tabulis caviti uti si uxor sua, quæ prægnans erat masculum pareret, is Canonicus fieret in Ecclesia cathedrali Helenensi. Chartularium Helenense lib. 6. cap. 3. *Et si uxor mea de ipsum prægnatum quem habet, DEUS donavit filium, dimitto ad sancta Eulalia, cum ipso alodio quem habeo in Chexans post obitum mater sua &c.* Factum istum testamentum vii. Idus Decembris anno XXVIII. regni Philippi Regis. Post viginti circiter exinde annos Petrus de Tornamira de Spaniaco iussit ut si uxor sua pareret post mortem suam masculum, filius ille monachus fieret in monasterio Tutelensi. Chartularium Tutelense folio 209. *Si verò uxor mea, quæ nunc prægnans esse cernitur, filium pepererit, dimitto eum ut fiat monachus in supradicto loco cum villa quæ dicitur Pomairol.* Testamentum Ludovici VIII. Francorum Regis apud Andream Duchesnium

to. v. pag. 325. *Item volumus & precipimus, quòd quintus filius noster sit Clericus & omnes alii qui post eum nascentur.*

SECUNDUM Illud] Ista non extant in recentiori codice regio, neque in Colbertino.

Pag. 232. TOBIAS] Adnotat Pithœus in vetusto codice suo scriptum fuisse *Tobis*, & editionem Septuaginta habere *Tôbit*. Porro uterque codex regius habet *Tobis*.

SEC. LEG. OMN. RELINQ.] Primò edideramus secundum Evangelium &c. secuti vetus exemplar bibliothecæ regiæ. Sed cum reliqua & veteres editiones præferant legem, eaque lectio videatur esse melior, eam revocavimus. Isthic enim non agitur de tempore Evangelii, sed de tempore legis.

EVANGELIUM COMPLEVIT] Recentior codex regius & Colbert. *Evangelia*.

Pag. 233. APERTA ISTIUS] Om-

nes libri veteres legunt, *Certa istius.*

SCIT OPUS] Antea legebatur *fit*. In hac ergo editione sequi placuit auctoritatem librorum manu scriptorum.

AC MAGNA) Hæc desunt in omnibus antiquis codicibus.

SI ALIUD] Secuti sumus consensum veterum librorum. Nam editiones habent, *Si aliter.*

PROVIDERANT] Ita etiam veteres libri. Edit. *providissent.*

QUOD SUBSTANTIA] In utroque codice regio sic scriptum est: *Quia substantia olei non suppeditante defecit.*

UT POSSIT INITIUM] Antea legebatur *ut possit finem*. Verùm omnia vetera exemplaria habent uti nos reposuimus.

PLANE ITAQUE) Pithæus admonuit in codice suo scriptum fuisse *Plena itaque*. Sic etiam habent codices regii. Error Hhh3

ex metathesi literarum profectus.

Pag. 238. ET CLERICIS) Hæ voces defunt in omnibus antiquis exemplaribus. Et sanè superfluas esse indicare videntur sequentia, si quis ea accuratè expendat.

EXEMP. E. O. DEBENT) Athalaricus Rex clero Ecclesiæ Romanæ apud Cassiodorum lib. 8. Var. epist. 24. *Sed interim vos, quos iudicia nostra venerantur, Ecclesiasticis vivite institutis. Magnum scelus est crimen admittere quos nec conversationem decet habere secularem. Professio vestra vite celestis.*

NIHIL EST ENIM &c. VILITATE) Integra hæc periodus desideratur in omnibus antiquis exemplaribus.

IPSA FÆCE) Antea legebatur *ipso sexu*, nullo admodum sensu. Codex regius suppediavit justam lectionem. Ait enim Salvianus DEum perfectissimam vivendi regulam dedisse, non

solum Episcopis & Clericis, sed etiam plebeis hominibus, qui fæx populi dici solent, & non solum plebeis hominibus, sed, quæ ipsa populi fæce infirmiores sunt, mulieribus.

INFIRMIORIBUS) Macharentinus legit *inferioribus*. Prorsus malè.

DEUS NOSTER VELIT) Vetus codex regius & Colbert. *DEus non velit*. Recentior regius neque *non* habet neque *non*.

CLERICOS SUOS) id est, in universum eos qui in clero constituti sunt, Episcopus nimirum, Presbyteros, Diaconos, & ceteros. Vtrique enim clericorum appellatione intelliguntur, uti dictum est ad caput 29. Agobardi de dispensatione Ecclesiasticarum rerum. Istud ipsum nos docet Martinus Papa & Martyr in epistola ad Theodorum: in qua narrans quomodo à Calliopa Exarcho Roma adductus sit, ait inter cetera: *Sinite mecum venire ex clero*
qui

qui necessarij mihi sunt, Episcopos videlicet, Presbyteros, & Diaconos, & absolute qui mihi videntur. Apud Sirmondum in collectaneis Anastasii pag. 78.

SI VIS ESSE PERFECTUS] Hunc locum Macherentinus omisit in sua editione.

PERAM DE APOSTOLLI] Sic edere visum est pro eo quod editiones habent Pecuniam. Prima tamen habet Pedum. Primus Pithæus reposuit Pecuniam. Quæ lectio in codice ejus posita est supra lineam. Valde autem puto antiquitus illic scriptum fuisse Peram. In constituenda autem vera lectione secuti sumus auctoritatem veteris codicis regii. Tum necessariam esse illam emendationem colligitur ex his quæ præcesserunt.

SACERDOTIBUS] Indignatur Salvianus esse Episcopos quosdam qui res ac facultates suas aliis donabant quàm Ecclesiæ, id summo-
pere curantes ut heredes re-

linquerent divites. Rursum in libro sequenti pag. 216. & sequentibus invehitur in Religiosos, in quorum numerum veniunt & Episcopi, quòd cum illi filios aut cognatos non haberent quibus facultates suas tribuerent, malebant eas relinquere extraneis heredibus quàm Ecclesiis. Codex canonum Ecclesiæ Africanæ cap. 81. Item constitutum est ut si quis Episcopus heredes extraneos à consanguinitate sua, vel hereticos etiam consanguineos, aut paganos, Ecclesia pratulerit, saltem post mortem anathema ei dicatur, atque ejus nomen inter DEI sacerdotes nullo modo recitetur.

Hujus canonis mentionem injecit in collatione quinta Quinti Concilii Sextilianus Episcopus Tuniensis vicem agens Primosi Episcopi Carthaginensis: Doceo sanctum vestrum Concilium quòd anterioribus temporibus in nostra provincia multi Episcopi congregati, & quadam de diversis causis ad Eccle-

sia-

siasticum statum pertinentibus disponentes, statuerunt de Episcopis defunctis qui hereticis suas facultates relinquunt, ita ut post mortem anathemati subjiciantur.

Respexit nihilominus etiam ad canonem 22. ejusdem collectionis Africanæ, qui sic habet: *Et ut in eos qui Catholici Christiani non sunt, etiamsi consanguinei fuerint, per donationes rerum suarum Episcopi vel clerici nihil conferant. Vide rursus canonem 32. ejusdem collectionis.*

Pag. 244. **LABORAREM FORTASSE)** Sic habent duo codices regii & editio Pithœi. Prorsus bene. Antea legebatur: *Laborarem fortasse intra me, vincerem opiniones meas &c.*

Pag. 245. **ELEMENTA IPSA)** In vetusto codice regio sic scriptum est: *Cumque natura ipsa & elementa mundi.* In recentiori verò: *Cumque elementa mundi & ipsam naturam Dominus &c.*

ET LAQUEUM] Hac addita sunt ex veteri exemplari regio & ex Colbertino. Extant autem apud D. Paulum.

CATENA] Ita veteres libri & editiones, uno excepto recentiore regio, in quo scriptum est *laqueus.*

IPSA EMENDATIO) Pag. 246. Antea legebatur *ipsum commercium.* Sed ista lectio, quam & editio Pithœi & regii codices exhibent, nunc demum visa est melior propter præcedentia.

IPSI DIVITI] Veteres libri, *ipsi Domino.* Pag. 248.

EXTORREM) In recentiori codice regio scriptum est *exsortem.*

OMNES ENIM) Hac Pag. 249. quæ sequuntur, usque ad vocem *scilicet*, desunt in utroque codice regio & in Colbertino, ubi sic legitur: *Sed novo & crudelissimo, scilicet ubi in exilium &c.*

HOSTES SUNT) Aliàs, secuti auctoritatem editionis.

tionum, scripseramus: *Illi enim corporum tantum bo-
stes sunt, vos spirituum; illi tantum artuum, vos &
animarum.* Nunc verò, sequentes consensum vete-
rum codicum, qui voces illas vos spirituum illi tantum artuum expungunt, nos quoque illas expunximus, quòd apertè videantur non esse Salviani.

AD LIBRUM TERTIUM.

Pag. 252. **A C FERENDI**] Desunt ista in recentiore codice regio & in Colbertino.

Pag. 254. **AUT ETIAM UT TIBI**] In utroque codice regio desunt ea quæ sequuntur usque ad voces illas, *Sed de iis &c.* Desunt etiam in Colbertino.

CONGERAT] Antea legebatur *consulat*, ut in antiquis editionibus. Consensus veterum librorum effecit ut aliam lectionem præferremus.

Pag. 255. **PIGNORA ALIA**) Ergo pignorum vocabulo alii intelliguntur præter liberos. Quod constat etiam ex pagina sequenti; ubi in pigno-

rum numero ponuntur parentes, fratres, conjuges, propinqui, & affines.

QUI SUOS IPSOS] Antea legebatur *ipse*. Eminentatum est ex codice regio.

FILII OFFERUNTUR DEO) Vide supra in Notis ad paginam 231. Pag. 256.

OMN. FIL. POSTPONUNTUR] Hieronymus in epistola ad Demetriadem de virginitate servanda: *Qui religiosiores sibi videntur, parvo sumptu, & qui vix ad alimenta sufficiat, virginibus dato, omnem censum in utroque sexu secularibus liberis largiuntur. Quod nuper in hac urbe dives quidam fecit Presbyter,*

ut duas filias in proposito virginali inopes relinqueret, & aliorum ad omnem copiam filiorum luxuria atque delictis provideret.

FILIIS RELIGIOSIS] id est, qui seculum reliquerunt, sive monachi facti sint, sive in clero constituti. Nam utrosque tum religiosorum vocabulo intelligebant, uti observatum est ad librum primum de gubernatione DEI. Porro sequenti etiam seculo religiosos in Gallia nostra dictos fuisse illos qui in clero erant patet ex canone secundo Concilii Lugdunensis secundi & ex canone decimo Concilii quinti Parisiensis.

CUM AUT TENUES]

Hæc, usque ad *tanto inferiores*, desunt in codicibus regiiis & in Colbertino.

Pag. 257. PAUPERES A SE FIUNT]

Julianus Pomerius lib. secundo de vita contemplativa cap. xi. *Clerici quoque, quos pauperes aut voluntas aut natiuitas fecit, cum per-*

fectione virtutis vita necessaria, sive in domibus suis sive in congregatione viventes, accipiunt. Ex hoc loco patet clericorum alios voluntate pauperes fuisse, alios natiuitate. Quod etiam colligitur ex cap. 32. collectionis Africanæ: Item placuit ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicumque clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Episcopatus vel clericatus sui agros vel quæcunque prædia nomine suo comparant, tamquam rerum dominicarum invasionis crimine teneantur. Vetus itaque Ecclesia in clericorum cooptabat eos qui omnibus facultatibus destituti erant. Nimirum juxta legem Constantini Imperatoris, qui eos tantum in clericorum loca subrogari fancivit qui fortuna tenues neque muneribus civilibus tenentur obstricti, id est, quibus non sit ea opulentia facultatum quæ publicas functiones facillimè queat tolerare. L. 3. & 6. Cod. Theodos. de Episc.

Episc. & Clericis. Rationem autem istius constitutionis in fine aperit his verbis: *Opulentos enim seculi subire necessitates oportet, pauperes Ecclesiarum divitiis sustentari.* Disciplinae istius memoria extat etiam in capitulis Jesse Episcopi Ambian. cap. 6. *Sextò, ut diligenter resciatis post ordinationem uniuscujusque Presbyteri quantum quisque profecerit in suo ministerio: quia qui ante ordinationem pauperes fuerunt, post ordinationem verò de rebus, cum debuerant Ecclesiis servire, emunt sibi alodium &c.* Hodie ea disciplina immutata est, nemoque ad sacerdotium promovetur quin prius Episcopo constet eum non indigere rebus ad vitam commodè transigendam necessariis, & pauperes vulgò non admittuntur in clero.

MAGIS PIOS] Vox magis deest in recentiori codice regio & in Colbertino.

Pag. 259.

PATRONÆ LIBERALITATIS) Antea legeba-

tur: *Tantum eis interdum gratia patroni liberalitas impertit.* Sed hanc lectionem respuendam nunc esse censuimus, quia codices regii & Colbertinus summo consensu habent *patrona liberalitatis.*

FILIOS NON HABEN- Pag. 261.
TES] Hinc ergo patet fuisse tum genus hominum in Ecclesia qui liberis non dabant operam, & quos prolem non habituros constabat statim ac certum vitæ genus profitebantur quod tum in usu erat. In hoc numero erant clerici, monachi, & sanctimoniales. Unde rursum colligitur vehementer errare Baleum, qui cælibi vitæ intonavit auctoritate ex Salviano sumpta, uti dictum est supra in Notis ad pag. 109. Hieronymus in libro adversus Vigilantium: *Quid facient orientis Ecclesie, quid Egypti, & sedis Apostolicae, quæ aut virgines clericos accipiunt aut continentes aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt?*

lii 2

QUIA

QUIA FIL. DILIGITIS] Hæc est lectio codicis Colbertini. In regijs autem legitur: *Quia filios diligatis.* Nisi quòd pro *quia* recentior regius habet *qui.*

CUNCTIS ANIMAS) Editiones, *cunctis suas animas.* Verùm vox *suas* deest in omnibus antiquis exemplaribus.

Pag. 262. ID EST, QUOD PRÆP.] Hæc verba usque ad *Sed ostendi* desunt in codicibus regijs & in Colbertino.

ESSE MANDATA NEC INTERESSE] Quæ hoc loco interjacent, ea in nullo veterum exemplarium extant quibus nos utimur. Quo factum est ut ea sustulerimus in secunda editione. Nunc verò cùm ea reperiamus in ea quam Joannes Sichardus publicavit, quæ est omnium prima, & non sint indigna Salviano, placuit illa revocare in textum. Duplex haud dubiè fuit editio horum librorum etiam ævo Salviani, prior in qua

segmentum illud & alia nonnulla de quibus infra non extabant, ex qua derivata sunt exemplaria nostra, alia in quibus extabant. Sic apud Lactantium, exempli causa, nonnulla desunt in quibusdam codicibus quæ propterea nonnulli censuerunt non esse Lactantii, quamvis illius esse & stylus & alii codices ostendere satis abundè videantur.

HEREDITARE MORIENTES) In codicibus regijs & in Colbertino sic omnino habet hic locus: *Hereditare morientes. Oportet quippe &c.* Reliqua quæ interjacent, non extant in codicibus regijs, neque in Colbertino.

REDDERE SIQUIDEM] Hunc locum avidè, ut solent adversarii nostri, arripuit Rittershusius ut ostenderet Salvianum sensisse quòd defunctis non possint superstitum bona opera prodesse ad refarcienda illa in quibus ipsi sibi defuerint. Quàm autem falsus in hoc loco

loco sit vir doctus patet vel ex sequentibus Salviani verbis : *Flamma infelictum mortuorum divitiis non refrigerantur heredum.* Loquitur enim heic de his qui æternis suppliciis addicti sunt, quibus præces orationesque superstitum inutiles esse etiam nos fatemur.

Pag. 266. UNIUS SUNT NOMINIS] In recentiori codice regio scriptum est : *Unius sunt omnes facultatis. Caveant &c.*

Pag. 267. NON TAM HERED.) Verba hæc, *non tam heredibus consulunt quàm sibi obfunt*, defunt in codicibus regiis & in Colbertino.

Pag. 268. SICUT SCRIPTUM EST] Hæc & sequentia usque ad *Nec interest* in pagina sequenti, defunt in codicibus regiis & in Colbertino, nec minùs tamen absque iis constare lectionem monuit Pithœus. Quia tamen hæc sensum bonum reddunt, nolimus expungere. Illud admonuisse sufficiat sic utrobique scriptum esse : *Pre-*

tium sua redemptionis addicunt ; nec interest penè jam apud homines &c.

AD JUMENTA] Rectè Pag. 269. monuit Pithœus fortasse rectius ita legendum hoc loco esse *si ad eos ut jumenta*, vel *ut adjumenta.*

PASSIO PERTINET) Heic describenda sunt ea quæ vir clariss. Petrus Pithœus adnotavit ad hunc locum; quæ sic habent: *Corruptus est hic locus in ceteris aliis editionibus, Basiliensi prima excepta, ex qua ita restituendus est, nec malorum passio perveniret. At illud acerbum atque intolerabile, eodem planè sensu. Nos verò cum desitueremur hoc loco veteris codicis auxilio, nec illius primæ editionis Basiliensis copia suppeteret, ita supplendum non omnino Aprosionysos conjeceramus. Huc usque Pithœus. In codicibus regiis legitur ut in Pithœana editione.*

PARENTEM MEUM) Pag. 270. id est, propinquum *non parent.*

parent. Propriè parentum vocabulo intelligimus patrem ac matrem. Hieronymus in libro secundo adversus Ruffinum : *Illud verò ridiculum quòd post triginta annos ad parentes se reversum esse jaëtat , homo qui nec patrem habet nec matrem ; & quos viventes juvenis dereliquit , mortuos desiderat. Nisi fortè parentes militari vulgarique sermone cognatos & affines nominat.* Ætate Salviani certum est parentum vocabulo comprehensos fuisse etiam cognatos & affines.

Pag. 271. HONORATIO IN MORTE] Erasmus in exequiis Seraphicis : *Non sentiunt exanimés. Sed tamen viventes imaginatione quadam futura pompa voluptatem aliquam ac fructum præcipiunt.*

DICATUR FUTURA] In aliis editionibus legitur *dicatur bona æterna futura.* Sed *bona æterna* non extant in antiquis exemplaribus calamo exaratis , & su-

pervacanea esse docent sequentia.

OFFICIALIUM) Editiones habent *officialium atque apparitorum.* Verùm codices antiqui non habent voces *atque apparitorum* , quæ certè sunt superflua.

FUNESTATO TE) In Pag. 272. editione Pithœi sic habet hic locus : *Et mirum est quòd hoc ipsum finis ut te non jam funestato aliquid de tuo habeat : jam exportato atque tumultato.* In vetusto autem codice regio sic : *Et mirum est q. b. i. finis ; & jam non funestato te tua habeat : jam exportato atque tumultato.* Rectius ergo fortassis codex regius recentior , qui sic habet , *Et mirum e. q. b. i. f. ut funestato te tua habeat , nisi etiam jam exportato atque tumultato.* Rittershufius existimaverat inutilem hoc loco esse particulam negativam.

VERUM EST] In editionibus sequitur , *ac rectum putas.* Verùm cum his careant omnes libri veteres ,

& necessaria non sint, hinc sustulimus. Aiebat autem Rittershusius legendum postea esse, ut sensus constet, *nec rationabilem curam ab-
nuo*, pro eo quod editiones habent *nec irrationabilem*. Itaque visum est admoneri debere conjecturam ejus confirmari auctoritate recentioris codicis regii.

Pag. 273. QUI TIBI USUM RER.) Antea legebatur, *qui tibi in vita ista usum rerum*. Nos secuti veteres libros, in quibus desiderantur voces *in vita ista*, illas delevimus.

Pag. 274. SACRÆ REPROMISS.] Ita libri veteres. In editionibus verò scriptum est *dominica*.

PROFLUÆ LARG.) Admonet Pithœus legendum esse *superflua largitatis*.

Pag. 275. MAGNIS FOENERAT.] Antea legebatur *magis*, ut in veteri codice regio. Sed quia in reliquis scriptum est *magis*, & Pithœus admonuit isthic ita reponen-

dum esse, sequi placuit iudicium viri doctissimi.

VEL P. H. MEREARIS) Pag. 276. Hæc desunt in antiquis codicibus.

INICIARIS) Veteres libri, *eneceris*.

UT NON OMN. MODIS) Hæc verba, usque ad illa *quòd hæc non agis*, desunt in antiquis codicibus, qui sic omnino habent: *Quid ergo, ut dixi, causa est quòd hæc non agis?*

VIDE P. E. T. D. NO-STRI) Pag. 278. Hæc absunt à vetustis codicibus.

ET AT.. I.... PETERE) Et hæc quoque absunt à vetustis codicibus.

TIBI ANXIOS) Rursum hæc non extant in codicibus manuscriptis.

AC PRECATUR) De-Pag. 279. sunt quoque ista in eisdem codicibus.

ET RECTE) Et hæc quoque absunt ab eisdem codicibus.

BLANDIMENTA Pag. 280. EOR.) Tacitus in libro primo

mo historiarum : *Blanditia*,
pestimum veri affectus vene-
num. Arnulphus Episcopus
 Lexoviensis in epistola ad
 Henricum II. Regem edita
 in tomo secundo Spicilegii
 Dacheriani pag. 497. *Melio-*
ra sunt verè diligentis seve-
ra consilia quàm fallax assen-
tatio blandientis.

OBSEQUELAS) Ver-
 bum ab obsequendo dedu-
 ctum, quòd à Plauto usur-
 patum est alicubi, & à Mar-
 cello memoriali in epistola
 ad Severianum & Julianum,
 quæ præfigi solet gestis col-
 lationis Carthaginensis : *Ad*
omnem quippe delegati mu-
neris obsequelam &c. Si-
 mile huic vocabulum extat
 apud Ruricium Episcopum
 Lemovicensem in epistola
 13. libri secundi, ubi vulgò

legitur *vestra in Domino cu-*
stodiat insequilla, cum le-
 gendum sit *insequela*. Fue-
 re enim ea tempora quibus
 librarii in se trahebant au-
 ctoritatem orthographiæ ;
 & cum hujuscemodi voca-
 bula incidebant, ea declina-
 re paululum faciebant à sua
 origine. Exemplo sint vo-
 ces *querela* & *parentela* ;
 quarum illa in veteri colle-
 ctione canonum & in vetu-
 stissimis membranis Codicis
 Theodosiani quæ extant Pa-
 risiis in bibliotheca monaste-
 rii sancti Germani de Pratis
 scripta est *quaerilla*, altera
 verò in libro legis Salicæ tit.
 63. cap. 1. *parentilla*. Sic
 etiam in Monastico Angli-
 cano to. 1. pag. 122. *sub do-*
mino ac potestate parentilla
mea. Sunt etiam multa
 alia exempla.



AD LIBRUM QUARTUM.

Pag. 281. **NEQUE MIR. E. UT
EIS**) Ita omnes libri
veteres. At editiones ha-
bent, *neque mirum est si
eis.*

Pag. 282. **HABITU MAGIS**) Hinc
patet eos qui seculum relin-
quebant, clericos videlicet,
monachos, & sanctimonia-
les habuisse vestes diversas à
vestitu ceterorum hominum,
ut etiam hoc agendi modo
probarent tenentiasse se
pompis & oblectamentis se-
culi. Suprà lib. 4. de gu-
bernatione pag. 70. *Ubi
enim quis mutaverit vestem,
mutat protinus dignitatem.*
Lib. 8. pag. 181. *Non sine
causa itaque istud fuit quòd
inter Africa civitates, &
maximè intra Carthaginis
muros, palliatum & palli-
dum & recisis comarum stu-
entium jubis usque ad cutem
tonsum videre tam infelix
ille populus quàm infidelis
sine convitio atque execra-
tione vix poterat.* Infrà hoc

libro 6. pag. 289. *Induat si-
bi quamvis quilibet habitum
sancti nominis.* Hierony-
mus in epistola ad Deme-
triadem de virginitate ser-
vanda, eam laudat, quòd
pro gemmis & serico & ex-
quisitis epulis appetierit je-
juniorum laborem, *asperita-
tem vestium victus continen-
tiam, & quòd omnem cor-
poris cultum & habitum se-
cularem quasi propositi sui
impedimenta projecit, ut
vili tunica indueretur & vi-
liori pallio tegeretur.*

SUFFICIT, INQUIT Pag. 283.
P.) Hæc omnia usque adhæc
verba, *Cur eam non dixit
cani in pueritia,* desunt in
antiquis codicibus.

NUDUS F. E. N. OP. Pag. 288.
ME.) Hæc non extant in an-
tiquis codicibus.

UBI ERGO SUNT) Edi-
tio Pithœi: *Ubi sunt ergo
illi qui.* Veteres libri: *Ubi
sunt qui dicunt &c.*

- Pag. 289.** LICET DE C.... ESSE VIDEARIS) Absunt hæc à codicibus antiquis.
- HABITUM SANCTI NOMINIS] Vide Notas ad pag. 70. & 281.
- Pag. 290.** SERVUS ENIM) Hæc verba , usque ad *grandia specie* , desunt in omnibus antiquis codicibus , qui sic legunt : *sponsionis : grandia specie &c.*
- Pag. 292.** SALGAMENTAR.] Codex regius recentior & Colbert. salgamarius.
- Pag. 293.** OMNES REI VENIABILES] Titus Livius lib. 28. *Ingenia humana sunt ad suam cuique levandam culpam nimio plus facunda.* Velleus Paterculus libro secundo : *Adeo familiare est hominibus omnia sibi ignoscere.*
- CONVERSIONIS] In recentiori codice regio scriptum est *conversationis.*
- Pag. 294.** POSTREMO QUOM. RED. &c. NON VIS] Hæc addita sunt ex libris nostris.
- ILLUD NECESSE EST] Hæc desunt in omnibus antiquis exemplaribus.
- IN VITA.... DONO) **Pag. 265.** Hæc quoque desunt in antiquis codicibus.
- DISPLICEBIT] **Pag. 296.** *Reperias enim* , ut Tacitus ait in quarto annalium libro , *qui ob similitudinem morum aliena malefacta sibi objectari putent.* Etiam gloria ac virtus infensos habet , ut nimis ex propinquo diversa arguens. Hieronymus in epistola ad Rusticum : *Scio me offensurum esse quamplurimos qui generalem de vitiis disputationem in suam referunt contumeliam.* Sulpitius Severus in libro secundo sacrae historiae loquens de Nerone : *Quippe semper inimica virtutibus vitia sunt , & optimi quique ab improbis quasi exprobrantes aspiciuntur.*
- HOMINIBUS , SI LOQUUNTUR] Vide supra in Notis ad pag. 98.



NOTÆ
AD VINCENTIUM
LIRINENSEM.

VINCENTIUS natus est Tulli Leucorum in prima Belgica, nobili in primis familia, patre Epirochio; si vera sunt quæ de Lupo Trecensî Episcopo, quem Vincentii fratrem germanum fuisse constat ex epistola Eucherii ad Hilarium de laude eremi, narrantur apud Surium in vita ejus. Primò militiam secularem sectatus, militiæ Lirinensis excubias, ut verbo Sidonii utamur, postea desudavit: ubi factus monachus & Presbyter, elegantissimum illud commonitorium scripsit adversus hæreses quod toties bono publico editum est. At vir modestissimus, utilitatem potius Christianorum spectans quàm terrestris gloriæ vanitatem, quemadmo-

dum de se dicebat Salvianus, nomen huic operi suum subtraxit, quod sub Peregrini nomine vulgavit. Testis Gennadius in catalogo virorum illustrium. Testis etiam ipse Vincentius in initio commonitorii. Scripsit autem anno tertio post habitam synodum Ephesinam, id est, anno Christi quadringentesimo trigesimo quarto, ut ipsemet docet in pagina 348. Mortuus est sub imperio Theodosii & Valentiniani, id est, ante annum CCCCL. ut rectè observatum est à viris eruditis. In disciplinam ejus traditus est Salonus Eucherii Lugdunensis Episcopi filius, ut ipse Eucherius testatur. Existimant plerique illum esse auctorem Vincentianarum

objectionum adversus quas scripsit Prosper Aquitanus. Sed cum ea opinio à viris celeberrimis explosa sit, tum speciali dissertatione in eam incubuit Bartholomæus Petrus Duacensis in præfatione ad commonitorium Vincentii,

Pag. 299.

INCIPIT TRACTATUS) Heic reddidimus bona fide ipsa verba veterum exemplarium cum quibus conlatum est hoc commonitorium. Nam editiones ita vulgò habent: *Vincentii Lirinensis, natione Galli, pro Catholica &c.* Nemo autem, opinor, dubitabit quin germana sit inscriptio codicum veterum, qui apud Gennadium viderit Vincentium scripsisse adversus hæreticos, *validissimam disputationem, quàm absconso nomine suo intitulavit Peregrini adversum hæreticos.* Optaverat sanè Bartholomæus Petrus ut titulus iste restitueretur huic commonitorio.

FILI MI, HOS] In ve-

tusto codice regio scriptura est: *Fili meus serm.* in recentiori verò, *Fili meos serm.*

TEMPUS, PROPTE-
REA] Omnes libri: *Sed tempus.* Corbeiensis mutilus est in hoc loco. Veteres edit. *Et tempus.*

INVICEM RAPERE DE- Pag. 300.

BEMUS] Plinius lib. 3. epist. 7. *Et quatenus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid quo nos vixisse testemur.*

URBIUM FREQUEN-
TIA] Zosimus Papa in epistola ad Hefychium Episcopum Salonitanum: *Significas nonnullos ex monachorum populari cœtu, quorum solitudo quavis frequentia major est, sed & laicos, ad sacerdotium festinare.* Hieronymus in epistola ad Heliodorum: *Interpretare vocabulum monachi, hoc est, nomen tuum. Quid facis in turba qui solus es?* Idem in epistola ad Rusticum: *Mihi oppidum carcer est, & solitudo paradysus est. Quid des-*

desideramus urbium frequen-
 tiam qui de singularitate cen-
 semur ?

REMOTIORIS VILLU-
 LÆ] Lirinensis. Ergo in
 insula illa, præter monaste-
 rium, erat aliqua habitatio
 hominum secularium. Re-
 motiorem porrò villulam
 vocavit Lirinum: quia cùm
 insula esset in mari mediter-
 raneo constituta, manifestum
 erat eam remotam esse ab
 urbibus & oppidis.

EGO SUM DOMINUS]
 Quamvis sciam editiones
 habere *DEus*, quo modo
 scriptum est in libro psalmo-
 rum, non ausus sum relucta-
 ri vetustis codicibus uno con-
 sensu proferentibus lectio-
 nem quam nos retinui-
 mus.

SECULARIS MILITIÆ]
 Hieronymus in epistola ad
 Nepotianum: *Petis à me,
 Nepotiane carissime, literis
 transmarinis, & crebrò pe-
 tis, ut tibi brevi volumine
 digeram præcepta vivendi,
 & qua ratione qui seculi mi-
 litia derelicta vel monachus*

*cæperit esse vel clericus,
 rectum Christi tramitem te-
 neat.*

PORTUM RELIGIO-
 NIS) Faustus Reiensis in
 epistola sexta ad Ruricium:
*Ego autem hanc primam
 munificentiam Domino lar-
 giente percepi quòd piissimus
 meus Ruricius post vitæ bu-
 jus jactationes ad portum
 Religionis proram salutis ex-
 celsi manu gubernante con-
 vertit.*

FUTURI SEculi IN-
 CENDIA] Vide quæ de
 æterno igne dicta sunt suprâ
 ad librum tertium de guber-
 natione DEI pag. 52.

VANIT. AC SUP. FLA-
 TIBUS) Salvianus epist. 9.
 pag. 203. *Præcipimur vita-
 re omnibus modis terrestribus
 gloria vanitatem.*

COMMONITORIUM)
 Paulinus epist. 9. ad Seve-
 rum: *Ipsam adnotationem,
 quam commonitorii vice mi-
 seras, literis meis inditam
 direxi ad Rufinum.* Ea vox
 per eas tempestates maximè
 in usu erat ad significanda

mandata quæ Legatis scripto dabantur in provincias proficiscentibus, velut commonitorium à Cælestino Papa datum Legatis euntibus ad orientem, commonitorium ab Imperatore Theodosio datum Elpido Comiti ad synodum Ephesinam jussu Principis proficiscenti, commonitorium à Zosimo Papa datum Faustino cùm in Africam mitteretur, itemque alia. Heic verò significat quoddam scriptionis genus, cujusmodi sunt adversaria, ad sublevandam memoriam ejus qui rem quampiam cupit habere semper in memoria, tamquam à commo-

SANCTORUM] id est, eorum qui seculum reliquerant, clericorum videlicet & monachorum.

Pag. 301. **NOVATIANUS**] Postea sequitur in quibusdam editionibus, *aliter Photinus*. At cùm veteres libri & editiones omittant hoc loco mentionem Photini, quem ponunt post Macedonium,

ita nos quoque faciendum esse censuimus.

PELAGIUS CÆLESTIUS] Hos & heic & alibi conjungit Vincentius, quia Cælestius fuit discipulus Pelagii, ut dicit infra Vincentius Pag. 338. Illos pariter jungunt & alii temporum illorum scriptores, & inter hos, Honorius Augustus, & Aurelius Episcopus Carthaginensis, aliique quorum cura enituit adversus Pelagium & Cælestium.

SACERDOTUM ET **Pag. 302.** **MAGISTROR.**] Episcoporum videlicet & eorum qui tamenetsi Episcopi non fuerunt, Ecclesiæ tamen magistri appellabantur. Veluti, ut istos exempli causa sumamus, Origenes & Tertullianus.

UNIVER. CONCILII) Codex vetus bibliothecæ regiæ, Colbertinus & veteres editiones sic habent. Itaque repudiavimus aliam lectionem, quæ *Ecclesiæ* exhibet pro *Concilio*.

ARRIANORUM] **Co-Pag. 303.**
dex

dex Colbert *Arriorum*. Sic edidit Pithœus. Quam lectionem exemplis confirmat Filefacus in commentario ad hunc locum.

Pag. 304. DEPULLATÆ VIDUÆ)

Ita quædam editiones; sed veteres habent *depopulata*. Quo etiam modo legitur in codicibus regiis. At in Colbertino scriptum est *depulata*. Rectè autem dixit depullatas viduas. Pullæ enim vestes erant tum insignia viduarum.

MON. DEMOLITA)

Codex regius, *dilacerata monasteria*. Sic etiam in Colbertino.

Pag. 305. DISSIGNARE]

Sic reponi debere visum est pro eo quod in superioribus editionibus scripseramus *resignare*. Nam & codex Colbertinus & heic & paulò post habet *dissignare*; & codex vetus bibliothecæ regiæ, qui isthic legit *designare*, in alio loco præfert *dissignare*. Atque utrobique *dissignare* reposuit Pithœus. Immo in vetustissimo exemplari MS.

operum sancti Ambrosii signato numero 5154. in bibliotheca Colbertina aperte scriptum est utrobique *dissignare*. Tres tamen antiqui codices ejusdem bibliothecæ in quibus extant opera sancti Ambrosii, veteres editiones Vincentii nostri, & editiones Parisienses operum sancti Ambrosii habent *designare*. Primus, ut arbitror, Costerus *resignare* scripsit apud Vincentium; & ita etiam postea scriptum est in editione Romana operum sancti Ambrosii, cum aliæ habeant *designare*, uti jam monuimus. *Dissignare* est signum sive sigillum solvere. Vide glossarium Dufresnii.

PRÆDICAMUS PLANE) Ista semel tantum leguntur in veteri codice regio & in Colbertino, tum etiam veteres editiones. Quia tamen illa bis ponuntur in aliis codicibus, & aliquam habent elegantiam, ea retinuit.

ETSI ADSEQUI]

Sic Cal.

Cassianus in libro septimo de incarnatione Domini, loquens de Joanne Episcopo Constantinopolitano, quem nos Chrysofomum appellamus, ait: *Quod etsi assequi grande est ac difficile, sequi tamen pulchrum atque sublime.* Et Ruricius Lemovicensis Episcopus ad Sidonium scribens lib. 1. epist. 9 *Vestram attingere cupio disciplinam: quam etsi assequi grande est atque difficile, sequi tamen pulchrum est atque sublime.* Sumpsit videlicet ex Cassiano. Ut vel hinc appareat Ruricium optimorum auctorum lectione semet oblectatum fuisse.

SPIRITALES] Codex Colbert. *spiritaliter.*

CONFESSOR. VIRTUTE] Ita prorsus codex regius vetus, cum editiones haberent *confessionum.*

Pag. 306. RADIANTES) Veteres edit. *Radiantis.* Vetus codex regius & Colbert. *radiati.*

FORMULAM PRÆ-

MONST.) Simile quid extat apud Tacitum in 16. annualium libro; ubi de P. Egna-tio, qui Sorani quondam cliens, tunc ad opprimendum amicum emptus erat, ait: *Dedit exemplum precavendi quomodo fraudibus involutos, sic specie bonarum artium falsos, & amicitia fallaces.*

EXEMPLIS TALIBUS) Sidonius lib. 8. epist. 10. *Scaturit mundus similibus exemplis.*

APOSTOLICA SEDE) id est, Romana, quam Apostoli Petrus & Paulus sanguine suo consecraverant, quamque vulgò intelligunt occidentales cum sedem Apostolicam simpliciter dicunt, quòd ea sola Apostolica esset in occidente. Neque tamen protinus verum est quod ait vir clarissimus Stephanus Pasquierius in libro 3. disquisit. Francic. cap. 9. ubi scribit Clodoveum Regem, cum sic scriberet ad Episcopos, *Dominis sanctis & Apostolica sede dignis-*
simis,

simis, intelligere sedem Romanam, multumque ex eo honorem Episcopis à Rege tribui putat quòd censeat eorum merita tanta esse ut digni sint præsidere sanctæ sedi Apostolicæ Romanæ. Vana inquam interpretatio. Olim enim omnes Ecclesiæ dicebantur Apostolicæ, quòd fidem suam ab Apostolica illa primâ sede accepissent quam Apostoli fundaverant. *Ac per hoc*, inquit Tertulianus in libro de præscriptionibus adversus hæreticos, *Et ipse Apostolica deputatur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot ac tanta Ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ, Et omnes Apostolica, dum unam omnes probant unitatem.* Erant itaque Clodovei ævo vulgata hæc honoris vocabula inter Episcopos, non solum cum ad omnes simul scribebatur, sed in epistolis ad unum-

quemque eorum scriptis. Ob hoc igitur olim omnes Episcopi dicebantur Apostolici, ut cuius notissimum est. Vide Notas ad Lupum Ferrar. pag. 480. & ad Agobardum pag. 114.

APOSTOLOR. SUCCESSIONE] id est, successores Apostolorum Petri & Pauli in Ecclesiâ Romana, qui Romæ in cathedra eorum federunt. Non dubitabat ergo Vincentius quin Romana Ecclesiâ fundata fuisset à Petro & Paulo. Vide Notas ad epistolam 84. Lupi Ferrariensis.

AGRIPPINUS CARTHAGIN.] Vide Sirmondi Notas ad Facundum lib. 10. pag. 428.

CONTRA DIVINUM CANONEM) Observa ordinem quem sequi oportet in causis fidei. Primum intemerata debet esse auctoritas divini canonis, id est, sacrorum bibliorum. Deinde nihil tentare oportet adversus doctrinam ubique receptam. Tertio, si quid

in commune de causa fidei senserint Episcopi, illud quoque debet esse inviolatum. Postremò magna traditioni reverentia, magnus antiquitati habendus est honor, ita ut nefas sit recedere à tradita semel & suscepta apud Christianos fide. Si sequamur has regulas, nunquam faciemus heresim.

Pag. 307. PRÆCETERIS] Videtur heic Vincentius æqualitatem quandam inducere inter Stephanum Papam & ceteros Episcopos, nisi quòd ei primum locum tribuit & aliquam prærogativam propter loci auctoritatem. Sic Augustinus in libro de unico baptismo cap. 14. comparationem quandam instituit inter Stephanum & Cyprianum, dum ait: *Duo erant eminentissimarum Ecclesiarum, Romana scilicet & Carthaginensis, Episcopi, Stephanus & Cyprianus, ambo in unitate Catholica constituti.* Attamen illud est constantissimum, Romanum Pontificem semper habuisse

primatum in toto orbe, & pro veritate plus ceteris confacerdotibus posse, ut Falcundi verbis utamur. Vide Notas ad Lupum Ferrariensem pag. 429. 441.

LOCI AUCTORITATE] Concilium Parisiense ad Ludovicum & Lotharium Augg. scribens anno DCCC XXIV. adversus Papam Romanum: *Verebitur siquidem potestatem vestram, auctoritatem sedis, & testimonia veritatis.*

IN EPISTOLA) Ea nunc non extat. Sed Cyprianus, ad quem scripta est, mentionem illius facit in epistola 74. ad Pompeum, ubi hoc fragmentum refert ex epistola Stephani: *Si quis ergo à quacunque heresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam; cum ipsi heretici propriè alterutrum ad se venientes non baptizent sed communicent tantum.* Putavit autem vir doctissimus Nicolaus Rigaltius hanc partem epi-

epistolæ Stephani , ut manus illi imponatur in poenitentiam , deesse apud Vincentium Lirinensem in hoc loco. Sed pace tanti viri dictum sit , inutile esset membrum hoc apud Vincentium. Etenim ille non disputat quonam modo recipi oporteat hominem ab hæreticis baptizatum ad Ecclesiam catholicam venientem. Illud tantum auctoritate Stephani probare voluit , nihil novandum esse , non solum in doctrina de baptismo , sed etiam in omnibus causis fidei , præter id quod traditum est , retinendam antiquitatem , explodendam novitatem , ut ipse mox dicet. Ceterum istius Stephani epistolæ meminit & Eusebius in lib septimo hist. ecclesiast. cap. 3.

AFRICANI CONCILII]
Duo valde celebria Episcoporum Concilia fuere apud Afros quæ doctrinam de rebaptizatione sanciverunt. Primum , cuius in epistola 71. & 73. meminit Cypria-

nus , congregatum fuit ab Agrippino Episcopo Carthaginensi , cui interfuerunt Episcopi provinciarum Africae & Numidiæ. Secundum , sub Cypriano habitum Carthagine anno CCLVI. cui interfuerunt Afri , Numidæ , & Mauri. De posteriore loqui Vincentium puto.

ABOLITA, ANTIQUATA] consensu nimirum Ecclesiæ Catholicæ , quæ repudiavit eorum sententiam qui censuerant hæreticos ad Ecclesiam venientes esse rebaptizandos. Istud enim dogma postea Catholicus orbis terrarum robustissima firmitate consensionis exclusit , ut Augustinus ait in libro tertio de baptismo adversus Donatistas cap. 2. Quæri autem potest hoc loco an non Vincentius senserit cum Hieronymo decretum de rebaptizandis Hæreticis editum in Concilio Africano sub Cypriano , cassatum ab iisdem Episcopis fuisse qui condiderant. Hieronymus in dialogo adversus Luciferianos

rianos : *Conatus est beatus Cyprianus contritos lacus fugere nec bibere de aqua aliena ; Et idcirco hæreticorum baptisma reprobandum , ad Stephanum tunc Romane urbis Episcopum , qui à beato Petro vigesimus sextus fuit , super hac re Africanam synodum direxit. Sed conatus ejus frustra fuit. Denique illi ipsi Episcopi qui rebaptizandos hæreticos cum eo statuerant , ad antiquam consuetudinem revoluti , novum emisere decretum.* Sed huic Hieronymi testimonio multa repugnare videntur. Primum constat auctoritate Concilii Arelatensis viguisse per multa tempora post Cyprianum doctrinam de rebaptizatione apud Afros. Deinde istud ipsum probatur ex concilio Carthagine habito apud Gratum Episcopum : quod licet constiterit ex Episcopis quorum animus abhorrens erat à rebaptizatione , evincit tamen eam doctrinam nondum abolitam fuisse apud Afros , tamen-

etsi plerique contra sentirent. Præterea Concilium Cypriani adhuc ævo Vincentii in auctoritate fuisse probat exemplum Donatistarum , qui (ut mox dicit Vincentius , & constat ex diversis Augustini locis) illius auctoritate Concilii rebaptizare se jactitabant. Denique nullum novi istius decreti testimonium alibi extat in tota antiquitate. Quod tamen si fuisset , haud dubiè eo usi frequenter essent adversarii Donatistarum. Contra Augustinus in epistola 48. adnotat non inveniri Cyprianum sententiam de rebaptizandis hæreticis suam correxisse. Itaque fieri potest ut Hieronymus , cum videret rebaptizationem à Catholicis Afris rejici , fortassis odio adversus Donatistas , putaverit eos ad antiquam consuetudinem revolutos esse statim post Concilium habitum sub Cypriano , quemadmodum Augustinus in libro tertio de baptismo cap. 2. ait Afros ad pristinam

nam consuetudinem rediisse post Agrippinum. Ceterum rebaptizationem à nonnullis Afris diu retentam fuisse colligitur ex sancto Gregorio in libro 2. Indict. 10. epist. 25. & ex epistola Nicolai II. ad clerum, ordinem, & plebem consistentem in civitate Sistaricensi, quæ edita est ab Honorato Bouche in historia Provinciae to. 2. pag. 78. itemque ex decreto Alfani Episcopi Salernitani edito à Ferdinando Ughello in tomo septimo Italiae sacrae pag. 802.

ABSOLVUNTUR MAGISTRI] Augustinus in libro de unico baptismo cap. 12. *Ego autem ut quod de hac re sentio breviter dicam, rebaptizare hæreticos, quod illi fecisse dicuntur, tunc fuit humani erroris; rebaptizare autem Catholicos, quod adhuc isti faciunt, semper est diabolica præsumptionis.*

Pag. 308. **REBAPTIZARE**] Damna ergo communi consen-

sensu est doctrina rebaptizationis. In quo secuta est Ecclesia sententiam Papæ Stephani. Veruntamen quod ait Stephanus ita suscipiendos esse hæreticos qui ad Ecclesiam veniebant ut manus eis imponeretur in poenitentiam, istud alii ita efferunt, ut statuatur manus eis tantum imponi ut accipiant Spiritum sanctum. Concilium Arelatense canone 8. *De Afris, quod propria lege sua utuntur ut rebaptizent, placuit ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit interrogent eum symbolum; & si perviderint eum in Patre & Filio & Spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum sanctum.* Siricius in epistola ad Himerium loquens de hæreticis, quoniam modo recipiendi sint, ait id in Ecclesia Romana fieri per invocationem solam septiformis spiritus Episcopalis manus impositione, idque totum orientem occidentemque custodire. Plurima
L113 istius

istius rei exempla alibi extant, quæ nunc congerere non est opus. Impositionem sane manus Episcopi necessariam visam fuisse antiquitus baptizatis, ut acciperent Spiritum sanctum, multis testimoniis probavit illustrissimus vir Petrus de Marca in Notis ad Concilium Claromontanum. Ex quo colligebat Cyprianus hæreticorum baptisma irritum esse, quòd illi non haberent Spiritum sanctum, & certum atque manifestum hinc esse, baptizare non posse nisi eos qui habeant Spiritum sanctum. Tum addit in epistola 76. *Itaque qui hæreticis sive schismaticis patrocinantur, respondeant nobis, habeantne Spiritum sanctum, an non habeant. Si habent; cur illic baptizatis, quando ad nos veniunt, manus imponitur ad accipiendum Spiritum sanctum, cum jam utique illic acceptus sit ubi si fuit dari potuit? Si autem foris cuncti hæretici & schismatici non habent Spiri-*

tum sanctum, & ideo apud nos manus imponitur ut hic accipiatur quod illic nec est nec dari potest, manifestum est nec remissionem peccatorum dari per eos posse quos constat Spiritum sanctum non habere.

PERTIMESCUNT]
Vetus codex regius & Colbert. *extimescunt.*

IS SUBITO] Corb. & Pag. 313.
Colbert. *is si subito.*

GREGEM CHRISTI] Pag. 314.
LACERARE] Verba sunt Cypriani in epistola 67. qui corpus Episcoporum ideo concordie mutue glutino atque unitatis vinculo copulatum esse ait ut si quis ex collegio eorum hæresim facere & gregem Christi lacerare & vastare tentaverit, subveniant ceteri. Itaque gregem Christi lacerare hoc loco nihil aliud significat quàm hæresim facere. Infra pag. 340. *Qui sunt lupi rapaces nisi sensus hæreticorum feri & rabidi, qui caulas Ecclesia semper se-*

*festant & gregem Christi qua-
qua possunt dilacerant.*

MORSIBUS SUIS) Ita
vetus regius, Corbeiensis,
& Colbertinus. At editio-
nes & recentior regius ha-
bent *morsibus ejus.*

IMPERII JUDICIO
ELECTUM) Quippe cum
post Sisinnii Episcopi CP.
mortem ea sedes vacaret,
pluresque eam ambirent,
Theodosius Imperator, ut
pacem in ea Ecclesia retine-
ret, electionis summam in
se traxit, exclusisque omni-
bus Ecclesie CP. clericis,
Nestorium ex Antiochia ac-
citum ad sedem Constanti-
nopolitanam evexit, ut So-
crates scribit lib. 7. cap. 29.
Ordinatus autem est anno
CCCCXXVIII. IV. Idus A-
prilis. Vide illustrissimum vi-
rum Petrum de Marca in li-
bro octavo de concordia
cap. 9. §. 6.

TANTO SACERDOT.
STUDIO] Vide epistolam
Cælestini ad Nestorium & sy-
nodicon adversus Tragœdi-
am Irenæi cap. 95. 117.

CONFUTABAT ER-
RORES] Vide Socratem lib.
7. cap. 29. & synodicon cap.
6. pag. 694.

MAGNOS ÆSTUS] Pag. 315.
Hæc est lectio codicis regii.
Unde confirmatur conjectu-
ra Bartholomæi Petri, qui
in margine editionis suæ ad-
notavit legendum esse *æstus*
pro eo quod editiones ha-
bebant *actus.*

ET MANICHÆORUM] Pag. 321.
Ergo arbitror hæc esse super-
flua & addita fuisse à sciolo
quodam; qui cum non in-
telligeret Vincentium, pu-
tarétque eam comparatio-
nem sumi à Manichæis, quo-
rum dementia hanc esse
paulò post dicit Vincentius,
putavit nomen Manichæo-
rum addendum esse huic pa-
renthesi.

SACERDOTE MEF-
FINGIT] Ergo tum tragœ-
di & comœdi induebant pa-
lam ac publicè personam E-
piscopi, non fecùs ac alio-
rum hominum. Istud ta-
men vetitum fuisse hinc col-
ligi

ligi potest quòd illud etiam circa monachas & ascetrias vetuit Justinianus Aug. curamque executionis committit etiam Episcopis. Vide Julianum Antecessorem cap. 494. & lib. 5. Capitular. cap. 388.

Pag. 323. ET FILIUM HOMINIS]

In tribus antiquis codicibus legitur, *Et filius hominis descendisse Et dominus majestatis crucifixus in terra.*

Pag. 325. VERE CATHOLICI)

Veteres edit. ferè. Sic etiam codices Colbertinus & Corbeiensis.

INLUSTRATA MARTYRIO] Filius enim fuit Leonidis, qui sub Severo principe poenam capitis subit, eam contumeliam passus ob Christi nomen.

Pag. 326. NEMO MORT. PLU-

RA) Hieronymus in epistola ad Pammachium & Occanum, de origine loquens: *Mille Et eo amplius tractatus, quos in Ecclesia locutus est, edidit, innumerabiles præterea commentarios, quos ipse appellavit tomos,*

Et quos nunc prætereo, ne videar operum ejus indicem texere. Quis nostrum potest tanta legere quanta ille conscripsit?

PHILIPPUM IMP.] Pag. 327.

Hunc & alii veteres auctores Christianum fuisse scribunt, & in primis Eusebius lib. 6. hist. Ecclesiast. cap. 34. Vide Baronium ad an. CCXLVI. & Filesacum ad hunc Vincentii locum.

CUM ORIGENE ERRARE] Imitatum ex Cicerone, qui in libro primo Tusculanarum quaestionum sic loquitur: *Errare male cum Platone quàm cum istis vera sentire.* Claudianus Mamertus in libro secundo de statu animæ cap. xi. *Ego verò præeligerem ab istis cum Eucherio rejici quàm cum istis à veritate damnari.*

CORR. E. ORIGEN. Pag. 328.

LIBROS) Vetus est hæc querella, cui respondet Hieronymus in epistola ad Pammachium & Occanum. Vide Sulpitium Severum dialogo 1. cap. 3.

Pag. 331. IN DIEM) Codex Corb.
de die in diem.

Pag. 333. CORPUS PRÆPOSI-
TOR.] id est Episcoporum;
Ecclesia enim est in Episco-
pis, ut Cyprianus ait in epi-
stola 79. *Et si contumax ac
superba obaudire volentium
multitudo discedat, Eccle-
sia tamen à Christo non rece-
dit; & illi sunt Ecclesia plebs
sacerdoti adunata, & pa-
stori suo grex adherens. Un-
de scire debes Episcopum in
Ecclesia esse, & Ecclesiam
in Episcopo, & si qui cum
Episcopo non sit, in Ecclesia
non esse.*

BESELEEL] *Alludit,*
inquit Costerius, *ad vetus
Judaica gentis tabernaculum,*
*quod Beseleel divina sapien-
tia præditus summo artificio
extruxit. Locus est Exodi
xxx. cap.*

Pag. 335. PRÆFORMAVERAT)
In veteri codice regio scri-
ptum est *præliciaverat.* Ita
etiam in Colbertino.

SUBDITIUM] Codex

regius vetus, Corb. & Col-
bert. habent *subditivum.*

ALIA ET ALIA) Vetus Pag. 336.
reg. *alia & alia.* Colbert.
& Corb. *alia & alia.*

REPUDIATIS] Vetus re-
gius, Colbert. & Corb. *re-
pudiandis.*

NOVÆ APPELLATIO- Pag. 337.

NIS) Displicuit Arrianis
hæc disciplina, qui nolebant
verba quæ non scripta sunt
dici, ut Hilarii verbis uta-
mur. Nam Concilium Ni-
cænum, ut omnes cavillandi
aditus præcluderet Arrianis
vocem *homousios*, quam-
quam non extaret in sacris
litteris, in symbolo posuit;
cui subscribere deberent
quotquot se Catholicos esse
vellent probare, ut docet
Athanasius multis in locis,
sed præcipuè in epistola ad
Afros pag 937. & hinc
Theodoretus lib. 1. hist. Ec-
cles. cap. 7. Scribit prate-
rea Socrates lib. 1 cap. 8. Eu-
sebius Nicomediensem E-
piscopum, & qui cum eo
erant, vocem consubstan-
tialis

Mmm

tialis plurimis cavillis ac di-
 cteris infectatos fuisse. Man-
 fit tamen sua huic voci au-
 thoritas, vociferantibus li-
 cèt & clamantibus Arrianis
 eam novam esse. Unde
 colligere possumus posse Ec-
 clesiam, cùm ea tempo-
 rum necessitas est, nova
 verba invenire ad expli-
 candam fidem Christiano-
 rum.

Pag. 338. DISCIPULUM EJUS
 CÆLESTIUM) Illud est
 notissimum; & præterea
 scriptum est à Mario Mercat-
 tore in commonitorio ad-
 versus Cælestium. *Ob hoc,*
inquit: à beata memoria
Zosimo Episcopo scriptis am-
plissimis vel longissimis per-
damnatus est Cælestius, in
quibus & ipsa capitula de
quibus accusatus fuerat con-
tinentur, ut omnis causa,
tam de Cælestio superscripto,
quàm de Pelagio magistro
eius praviore, videretur esse
narrata.

Pag. 339. REGUM LIBROS] Ve-
 teres edit. regnorum. Sic

etiam vetus codex regius &
 Colbertinus.

DOCTORES, QUI **Pag. 345.**
 TRACTATORES) Vide
 Notas ad Lupum Ferrarien-
 sem pag. 479. & Filescum
 in commonitorio ad hunc
 locum.

JULIANO PELAGIA- **Pag. 347.**
 NO] Meminisse hoc loco
 debemus adnotatum à nobis
 suprâ fuisse commonitorium
 istud à Vincentio scriptum
 esse anno quadringentesimo
 trigesimo quarto, tertio vi-
 delicet post habitam syno-
 dum Ephesinam. Tum
 ergo Julianus in contumaciâ
 durabat, licèt toties com-
 monitus & invitatus ut redi-
 ret ad unitatem. Anno
 dein CCCCXXXIX. si-
 mulans pœnitentiam, moli-
 tus est in communionem Ec-
 clesiæ irreperere. Testis pro-
 sper in Chronico, Theodo-
 sio XVII. & Festo Consulibus:
Hac tempestate Julia-
nus Eclanensis, jactantissi-
mus Pelagiani erroris asser-
tor, quem dudum amissi E-
pisco-

piscopatus intemperans cupido exagitabat, multimoda arte fallendi, correctionis speciem præferens, molitus est in communionem Ecclesiæ irrepere. Sed his insidiis Sixtus Papa Diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens, nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit.

DIVINI CANONIS] Sacræ scripturæ divinorum librorum. Suprà pag. 301. *Cùm sit perfectus scripturarum canon.* Pag. 306. *contra divinum canonem.*

TRADITIONE] Vide Salvianum pag. 94.

IN PARTEM SCHISMATIS) Idcirco enim, ut ait Hieronymus, Petro datus est primatus ut capite constituto, schismatis tolleretur occasio. Quod etiam docuit Papa Gelasius. Itaque ad vitandum schisma necesse est ut unitatem Ecclesiæ sequamur, id est, Romanam Ecclesiam, ubi est origo & radix unitatis. Vi-

de illustrissimum virum Petrum de Marca Archiepiscopum Parisiensem in libro primo de concordia cap. 2.

OBREPERET] *Vetus Pag. 348.* codex regius & Colbert. *subriperet.*

DUCENTI FERE NUMERO] id est, circiter, plus minus. Quamquam variæ sint opiniones veterum de numero Episcoporum qui priori synodo Ephesinæ adversus Nestorium habitæ interfuerunt, illa verior videtur quæ ducentos aut circiter fuisse docet. Nam præter testimonium Liberati, qui ducentos fuisse tradit, Vincentius noster, qui triennio post habitam synodum scribebat, ita confirmat, & ipsi quoque Episcopi qui eam celebrare, se ultra ducentos fuisse testantur in epistola data ad Imperatores, id est, ducentos decem & octo, ut iidem scribunt ad eosdem Imperatores in relatione de orientalibus. Marius tamen

Mercator in commonitorio super nomine Cælestii ait Julianum & Cælestium fuisse damnatos sententia ducentorum septuaginta quinque Episcoporum in synodo Ephesiensi. De hac repugnancia commodius alibi dicetur.

Pag. 349.

GREGORIUS NYSSE-
NUS) Postea in vulgatis
editionibus Conciliorum ad-
duntur testimonia Attici E-
piscopi Constantinopolitani
& Amphiloicii Episcopi
Iconiensis, quæ vetus inter-
pres synodi Ephesinæ docet
suo tempore defuisse in qui-
busdam exemplaribus, uti
non extabant in eo quo Vin-
centius utebatur. Vide to.
I. collectionis Conciliorum
pag 470.

CAPUT ORBIS] Chri-
stiani nimirum, id est,
Roma. Quippe Romana
Ecclesia, ut ad Gratianum
Imperatorem scripsit Con-
cilium Aquileiense, totius
orbis Romani caput est, un-

de in omnes venerandæ
communione jura dima-
nant.

CAPREOLI EPIS-
TOLA] Ea extat in ge-
stis Concilii Ephesini pag.
477. Aliam verò ipsius
epistolam adversus Nesto-
rianos, in qua mentionem
facit legationis Ephesum à se
missæ, edidit olim vir cele-
berrimus Jacobus Sirmon-
dus inter opuscula dogmati-
ca veterum quinque scripto-
rum.

PROMULGATA] Vetus
codex regius, Corbeiensis
& Colbert. *provulgata.*

METROPOLITANI) Pag. 351.
Vel ex hoc loco patet quan-
tum honorem veteres tri-
buerint metropolitanis Epif-
copis.

EXEMPLA PRÆBE-
RENT) Tacitus: *Munimen-
tum in præsens, exemplum
in futurum.*

SIXTUS IN EPISTOLA]
In editione istius epistole
quæ extat apud Baronium
ex codice Vaticano, locus
iste

iste sic legitur : Ergo quia una , sicut dicit Apostolus , fides est , & vincentes obtinuit , dicenda credamus , & tenenda dicamus. Nihil ultra liceat novitati , quia nihil adjici convenit vetustati. Dilucida & perspicua majorum credulitas nulla cœnipermixtione turbetur. Sed hic locus emendatior est in hac editione quàm apud Baronium.

Pag. 352. SILENTIO FOVEAMUS
ERROREM] Nam inferiorum ordinum culpe (ut ait sanctus Leo in epistola ter-

tia) ad nullos magis referenda sunt quàm ad desides negligentésque rectores : qui multam sæpe nutriunt pestilentiam , dum necessariam dissimulant adhibere medicinam. Vide rescriptum Imperatoris Honorii ad Aurelium Episcopum Carthaginensem. Ex hoc interim loco emendanda est epistola illa Cælestini , quæ sana non est in editionibus.

IMMORIANTUR] Co-Pag. 354.
dex Corb. immoerentur. Sed idem in margine habet vel immoriantur

FINIS NOTARUM.

